

Cal. Libm. I. 1303. H. Cat. 1059.

D. B. I

DE

V I T A

SVMMISQVE

IN REM LITERARIAM

MERITIS

BOHVSLAI  
HASSENSTEINI

LIB. BAR. LOBCOVICI

PRAESIDE

JO. CHRISTOPH. COLERO

LIB. ART. MAGISTRO

ET ORDINIS PHILOS. ASSESSORE

IIII CAL. SEXTILES

A. R. S

clo lccc XVIII

IN AVDITORIO MAIORI

PVBLICE EXPONET

M. HENR. ANDREAS TOEPFFER

BARVTH. SAXO

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA



*SERENISSIMO PRINCIPI*  
AC DOMINO  
D O M I N O  
JOHANNI  
AVGVSTO  
PRINCIPI ANHALTINO  
DVCI SAXONIAE, ANGRIAE  
ET VVESTPHALIAE, COMITI  
ASCANIAE, DOMINO SERVESTAE  
BERNBVRGI, JEVERAE  
ET KNIPHVSII  
*DOMINO MEO LONGE*  
*CLEMENTISSIMO*

SERENISSIME PRINCEPS  
DOMINE LONGE  
CLEMENTISSIME

**L**ta usu uenire plerumque solet, SERENISSIME PRINCEPS, ut quicquid uel exercitationum Academicarum, uel aliorum, in lucem editur, librorum, id tum demum multum splendoris, atque commendationis accipere uideatur, si Illustrissimis Nominibus inscribatur. Ne longius abeam, exemplo

mihī esse possunt ipsa Bohuslai Hassensteinii Opera, quae cum ederet Thomas Mitis, Nimburensis, nunc Ferdinando I, nunc Maximiliano II. Imperatoribus dedicauit. Eodem fere instituto, ut alia innumerabilia praeteream exempla, Eugenio, Principi, orationes et opuscula Jani Vincentii Grauiuae nuncupauit Joannes Baptista Ancionus, qui sub finem inscriptionis confidit, se ab unoquoque initurum esse gratiam, qui in summa libri pagina nomen perlegerit Eugenii, Principis, cui facta sit dedicatio. Quid? quod Joannes Georgius Graeuus neminem, cui Thesauri sui antiquitatum Romanarum Vol. IX. dignius, maiorque cum splendoris, operi suo conciliandi, spe, inscriberet, quam **TEMET IPSVM, CLEMENTISSIME PRINCEPS**, se reperturum esse, putauit. Atque hoc illud quoque est, quod me induxit, ad tenuissimam hanc, de uita Bohuslai Hassensteinii, commentationem, **TIBI, INDVLGENTISSIME DOMINE**, demississimo animi cultu offerendam. Georgius Fabricius, uir quondam incomparabilis, omnes fere temporis sui eruditos adhortatus est, ut nihil relinquerent intentatum, aut inexpertum, ad illum heroem, Hassensteinium nempe, ornandum, et quasi suscitandum a mortuis. Vides autem, **CELSISSIME PRINCEPS**, in qualicumque hac exercitatione Academica, summi illius uiri, et immortalis plane laude digni, memoriam quodammodo esse instauratam. Vnum illud superest, ut et Hassensteinio, quasi in uitam, lucemque reuocato, et huic, de Hassensteinio, historiae patronum quaeram. Sed absit, ut quaeram alium, quam **TE, SERENISSIME PRINCEPS**,  
qui

qui dudum cum uniuerso terrarum orbi, tum sigillatim reipublicae litterariae, nominatim cultissimo, litteratissimoque Belgio, cum in itineribus uersareris, admirationi fuisti, praetereaque post **DEVM IMMORTALEM, EIVSQVE** cultum et religionem, in primis bonas litteras, summo **TVO**, et Clementissimo Patrocinio dignaris. Ego certe impius forem, et omnium ingrattissimus, nisi has primitias Academicas **CELSISSIMO NOMINI TVO**, obsequentissimo cultu ac ueneratione consecrarem, qui a longo iam tempore, etsi **TVAS** extra terras natus eram, prolixissimam **TVAM**, et fere diuinam expertus sum clementiam, munificentiamque, qua adeo **TIBI** me reddidisti obstrictum, ut omnem me uitam in posterum **TIBI** debere profitear. Accedit imprimis, quod, dum hoc ipsum scribo, faustissimus dies Natalis **TVVS**, recurrat, **O CLEMENTISSIME**, et, quam longissima uita **DIGNISSIME PATER PATRIAE**. Dicere non possum, quantis hic gaudiis exultem inter communes summorum ac infimorum ciuium **TVORVM** plausus, congratulationes, precesque, ac uota, quibus primum hunc, quem, imperii clauo admotus, celebras, diem Natalem, faustissimis excipiunt ominibus. Ego uero, summarum, ac prope diuinarum uirtutum **TVARVM** uenerabunda excitatus admiratione, nihil habeo, quod hac in solemnitate, demississimae subiectionis loco, **TIBI** offeram, **SERENISSIME PRINCEPS**, quam praeter pagellas has, preces ardentissimas, ut **SVMMVM, TE, NVMEN**, una cum **SERENISSIMA CONIVGE**, innumerabilium cursu, recursumque natalium dierum  
frui

frui finat, quo longissime generis humani deliciae,  
religionis Euangelicae praesidium, ac firmissimum colu-  
men, imperii Germanici illustrissimum fidus, regimini  
TVO subiectorum denique omnium fortissimum ac be-  
nignissimum perfugium esse queas.

SERENISSIME PRINCEPS  
DOMINE LONGE CLEMENTISSIME

SERENITATIS TVAE

Vitembergae  
ipso die XXIX. Jul.  
A. O. R. M DCC XIX.

*Cultor et Servus demississimus  
obsequenissimusque*

M. HENRICVS ANDREAS TOEPFFER  
SS. THEOL. CVLT.



MEMORIA  
BOHVSLAI HASSENSTEINI  
INSTAVRATA



Bohuslai Hassensteinii, de quo com-  
mentari ingredimur, maxima, cum  
uiueret, celebritas fuit, atque exi-  
stimatio, & facile eruditissimum  
quemque, aetate sua, superauit.  
Quo factum, ut non solum quam  
plurimos illustres, ac doctissimos ui-  
ros ad amicitiam suam adiunxerit,  
de quibus infra dicturus sum, sed & praeclare de bonarum  
literarum instauracione meritus uideatur. Certe ad Bohe-  
miam, unde ortus est, e barbaria uindicandam, uelut alter  
accessit Camillus. neque uniuersa Germania, illius inge-  
nio, aliud habuit, eo tempore, ullum praestantius, & po-  
litius, quae Daudis Chytraei uerba sunt, in singulari, quam  
ex Austria XIII KL. Febr. A. c. l. s. l. LXIX ad Thomam Mi-  
tem perscripsit, epistola. Miratus est uiri ingenium diui-  
num, uti ait, stupendumque, idque, se iudice, humanitus  
missum, par non habere, sed fere omnia excedere, professus  
est

A

est Martinus Mellerstadius, primus ille Academiae Vitembergensis rector. Laudat luculenta Bohuslai scripta Philippus Melanchthon, eorumque nimia fere admiratione, & desiderio, captus fuit Georgius Fabricius. Eruditionem raram, & excellentem Hassensteinio tribuit Jacobus Thomasius, eoque admirandam magis, si, quod ait ille, saeculum ipsius respicias, quo uixdum e tenebris barbariae coeperat emergere orbis Europaeus. Haec illa quoque Hassensteinia, & Lobcouicea gens est in Bojohemis, quae Vitembergensi aliquando Academiae rectores dedit. quorsum Sigismundos, & Bohuslaos commemorat Gothofredus Sueuus. Ipse uero Bohuslaus noster ingenti cura, atque sollicitudine bonarum literarum, doctrinaeque opes, in ipsis adeo Asiae, Africaeque finibus inuestigauit, librorumque, ac codicum praestantissimorum cumulos secum asportauit, quibus postea, ex bibliotheca Hassensteinia petitis, usi aliquando sunt Martinus Lutherus, & Philippus Melanchthon, inuisit autem, non sine magna oblectatione, & utilitate, Joachimus Camerarius. Non pauca ipse literis consignauit, admirabili profecto & stili elegantia, et ingenii, iudiciiue laude. quae quidem scripta, & commentationes tanto apud eruditos in pretio fuerunt, ut carmina certe illius, post Virgilium Maronem, publicis recitationibus, in Academia Lipsiensi, illustranda sumserit VVolfgangus Plick, poeosis professor, de quibus omnibus infra copiosius exponam.

II Neque uero non obscura sunt, & ignota fere, quae ad tanti memoriam uiri pertineant. In plerisque Lexicis, Bibliothecis, Indicibusque literariis uix nomen Hassensteinii extat. Frustra hic uulgares adeas biographos. nequicquam ceteros consulas rei literariae scriptores, nouissimos quoque, & saepe haud indiligentes. Nulla Bohuslai nostri apud

apud Morerium, Baelium, Buddeum, ceterosque, tenuis autem, & perexigua apud Koenigium mentio reperitur. Qui autem studio, deditaque opera, Hassensteinii uitam scriberet, praeter Thomam Mitem, fuit nemo a). Sed enim uix ille censendus est uitam descripsisse, qui nonnulla saltim hinc, inde, ex Epistolis Hassensteinii depromsit, quam uero pollicitus fuit, plenioram narrationem, nunquam edidit. Illud praetereundum non est, extare in Poematum Hassensteinii Appendice orationem, de laudibus Bohuslai nostri, per Rodericum Dubrauium, iuris utriusque doctorem. Parum autem, & si fateri incipiam, nihil admodum ab isto adiutus sum Oratore in hac lucubratione. usque adeo, praeter copiosas laudes, & uanae adulationis specimina, nihil affert memoratu dignum. Pietatem dum laudare instituit Hassensteinii, templorum, ait, bona, fortunaeque, ipsum non modo non furrupuisse, sed etiam auxisse, & conseruasse. in sacerdotes, monachos, uirgines Vestales, beneficium, ac liberalem exstitisse. Et tamen multa, forte etiam praeclare, sibi dixisse uidetur, nisi, quod postremo submouer, plura fuisse dicenda, sed, cum plus sibi otii expectandum sit nempe, in aliud tempus differenda. Opportune quoque memini, me, ante quam haec scriberem, incidisse forte in V. C. Christophori Augusti Heumannii prolusionem quandam scholasticam de Hassensteinio, nuper de nouo editam b). Doleo, doctissimo, amicissimoque uiro

A 2

desuisse

a) C. Graefius, de quo infra, consilium aliquando ceperat, uitam Hassensteinii euulgandi. quam ob causam Seckendorffium per literas rogauit, ipsi ut ferret suppetias. Id quod singulari me docuit epistola, Gottinga X Mart. c1o 10CC XIX data, V. C. C. A. Heumannus, ipse rem ab amico, sene, edoctus sed nihil Graefiani operis prodiit.

b) Comp. Gundlingiana, T. III, p. 489. sequ. add. Acta Eruditorum, c1o 10CC XVIII, p. 41.

defuisse praecipua Bohuslai opuscula, et ingenii monimenta. negat enim, se, praeter Lucubrationes illius Oratorias, quidquam uidisse. Has uero copiose enarrat, uerba refert, & subinde animaduersiones subiicit non contemnendas, ingenii, quo pollet eximie, & diligentiae testes. Sed unum, quod dixi, tantum uolumen habuit, unde non potuit perfectam fatorum, meritorumque Hassensteinii historiam, quae ipsius est modestia, polliceri, aut uenditare. c)

III Videor ergo mihi operae facturum pretium, si quidem paullo copiosius, quoad eius fieri potest, de uita, scriptisque Hassensteinii illius exponam. Nitar fide haud dubia, sed exploratissima. Ipsum subinde narrantem inducam Bohuslaum. Verbis utar testium locupletissimorum. idque in primis dabo operam, ut ingenium uiri, indolem, doctrinam, fata, moresque explorem, referamque. Quod si uero ne sic quidem omnia exhauriam, danda mihi uenia est, qui plura reperire non potui, incerta autem tradere, aut plus, quam effectum dare possim, suscipere nolui. Nempe, ne quid dissimulem, nihil, praeter scripta uiri, habeo, unde, quod ordior, amplificem institutum, aut exornem. Itaque simpliciter, atque bona fide, quidquid istis e monumentis scitu, lectuque dignum tradi poterit, enarrabo.

IV Atque hic primo omnium dicendum est de gente Lobcouicea, eiusque ornamentis. Nolo autem sollicitius ultimas gentis origines repetere, aut primam sedem, uicisque,

c) Ita est omnino, uti ipse nuper *Heumannus* perhonorifice scripsit: *De Bohusl. Hassensteinio singulare edidi programma, non ita pridem recusum, quod Cl. Colero, &c. occasionem praebuit, componendi uberiores de Hassensteinio commentarios, fortasse breuit in lucem prodituros. uid. Spec. I, Supplem. ad Boecleri Historiam saeculi XVI literariam, p. 8.*

que, & alia rimari. Sufficiat, perantiquam hanc Bohemiae gentem quamplurimos tulisse uiros maximo uirtutis, doctrinae, rerumque gestarum, ac meritorum splendore, atque amplitudine insignes. Cecinit eos carmine haud ineleganti Thomas Mitis, idque praemissum est Farragini poematum Bohuslai nostri. Laudantur potissimum Joannes, senior ille, supremus curiae regiae Pannonum quondam magister, itemque Joannes, iunior, supremus Pragensis Burggrauus. Eodem referendi Ladislaus, aulae Caesareae, siue Augustae Mareschallus, & consilii prouocationum praeses, Joannis, natu maximi, frater germanus, atque Bohuslaus Felix, inferioris Lusatae iudex, & saepe uariis in aulis Imperatorii oratoris, & legati officio egregie functus. nec tacendi Christophorus, Caesar. Capitaneus, ut uocatur, maioris Glogouiae in Silesia inferiore, Lituinus, & Venceslaus, fratres, itemque Sebastianus, & Henricus. nec praetereundi Nicolaus, Georgius, Ferdinandi quondam, Austriae eo tempore archiducis, magister equitum, Bartholomaeus, & ceteri, quos passim mirifice cum ab aliis, tum a Thoma Mite, quem dixi, uideas laudatos. Sigismundum Lobcouicum ipse commemorat Bohuslaus noster, in eumque ita luit aliquando.

*Tanta Sigismundo fuerit si cura Mineruae,*

*Quanta est talorum, magnus Homerus erit.*

Christophorus autem ille, de quo antea, non solum ex Bohuslai nostri sanguine genus duxit, sed eiusdem quoque uestigia pressit, uirtutumque heres esse uoluit, Italiamque, Lombardiam, Ligures, Pannoniam, Sarmatiam, Saxoniam, & Belgium, magnam partem, peragravit in armis, ob eoque labores, fidemque, & merita ab Augusto Romanorum imperatore Carolo V, in Equitum auratorum numerum

cooptatus est, id quod literae docent Laurentii Sspan, Appendici poematum Bohuslai adiectae, p. cccxcvi. Nicolaum, Bohuslai fratrem, Joachimum Camerarium aliquando per aliquot dies mensa, & sponda liberaliter excepisse, auctumque Graeco, & prius incognito autore, Lipsiam dimisisse, e bibliotheca Hassensteinia, ex ore Camerarii refert Thomas Mitis, sub finem Appendicis modo commemoratae. Idem Bohuslaum, iuniorem, cui nouam dedicauit epistolarum Hassensteinii nostri collectionem, maiorem in modum laudat, atque extollit, propterea, quod doctrinae, uirtutisque Bohuslai, senioris, aemulus sit, auguraturque, fore, ut patria aliquando rediuiuum Hassensteinium, in ipso, e peregrinis terris reduce, uelut ab Orchestrif Graecorum, experiatur. Atque hic ille est, qui, post Sigismundum, in Academia Vitembergensi, rectoris aliquando munere, et dignitate perfunctus est.

V Patet hinc, opinor, illustrem hanc Lib. Baronum gentem Lobcouiciam, quae ad principalem iam euecta est dignitatem, non solum excellentissimi ingenii, doctrinaeque, uiros, sed & heroas tulisse Augustis imperatoribus, regibus, principibusque, ob singularem fidem, & insignia merita, percaros, & adamatos. Quo magis dolendum est, superiore saeculo, Lobcouicum quendam, eadem ex gente ortum, magnum Caesaris administrum, & praeclare aliqui de Austria domo meritum, spreta fide, cum Gallis arcana literarum commercia habuisse, quibus & consilia prodidit, & maximi momenti decreta permutauit, in primisque Captarae institutum de Brisaco per proditorem intercipiendo euulgauit. Oxenstirnam quoque in suspicionem, & inuidiam uocauit, quod eodem tempore, quo Vindobonam uenit, coniuratio ista noua detecta esset. Quid multa?

multa? fuit XV Octobr. dies A. c. l. s. l. c. lxxiv, cum, hora circiter VIII, ad sanctiorem curiam se comparans, a Barone Hochero interpellatus, ac nomine Caesaris iussus est, continere se domi, ac intra triduum Vrbe excedere, scireque, omnibus dignitatibus se priuatum esse. mox Hispanicus legatus Spinola aureum uellus detraxit, atque hoc honore sane amplissimo exiit. Id quod cum ab aliis iam in factos, commentariosque historicos relatum, tum a Conrado Samuele Schurtzleischio, rerum suo tempore gestarum minime incurioso, memoriae proditum est in Epistolis Selectis, Ep. CLXXI. CLXXIV. CLXXVII, & CXXCV. Multo studiosius, aut felicius illibatam nominis magnitudinem nostra aetate seruarunt principes Lobcouitii, nuper bello aduersus Barbaros, summa fortitudinis, rerumque strenue gestarum laude insigniti. Qua de re, nihil attinet, plura dicere, cum recenti omnes memoria teneant, & completantur.

VI Pauca hic prius monenda sunt, quam ad cetera transeam, de domo Hassensteinia, quam Regiam uocat Thomas Mitis. Hoc illud domicilium est, in arce, inter circumiacentes colles, & nemora, positum, unde genti huic Hassensteinianum tributum nomen est, in Bohemia situm, & ad Musarum aequae, ac amoenitatum uariarum usum quondam comparatum, atque instructum, de quo Sturnus aliquando cecinit, nescio, an satis commode, aut caste certe.

*Sive uoles sacris Musis, castaene Dianae*

*Pallidulis curis incubuisse uigil,*

*Sive alacris Venerem, seu uis coluisse Lyaeum,*

*Ingredere haec uotis tecta parata tuis.*

Quod ad gentis huius insignia attinet, reperi, binas eam in rem aquilas adhibitas fuisse, de quibus hoc extat Ioannis

Smal-



Smalcaldiensis epigramma ad Bohuslaum Hassensteinium.

*Quando tuas Aquilas spectavi, insignia, binas,  
Mirabar, num sint Caesaris, atque Iouis.  
Nam tibi, ni fallor, Diuum genus a Ioue summo,  
Aut es Caesareo sanguine, credo, satus.  
Cur anceps quaero, quae sunt notissima cunctis?  
Iupiter, & Caesar semen uterque tuum.*

VII Iam propius ad Bohuslaum illum Hassensteinium ueniamus. Patriam habuit Bohemiam, cuius elegantissimam, hoc carmine, dedit cum Pannonia comparationem.

*Boemia Pannoniae certat. me iudice, diues  
Pannonia est auro, Boemia militibus.  
Nobilitas par est utriusque, & rustica turba,  
Cultior est multo Boemia Pannonia.  
Frigidus est Albis nobis, est frigidus Ister  
Pannoniae, Praga nec despicienda Budae est.  
Nos dedimus Schlechtam, Ianum dedit illa poetam,  
Martia gens nostra est, Martia Pannoniae.  
Religio sola est, qua uincimur. integra nempe  
illis, sed nobis mille modis lacera est.*

Neque uero non, quod pii patriae est amatoris, uidit, aut deplorauit calamitates domesticas, deque ceteris, quibus eo tempore metuere debuit, malis ita conquestus est, libere quidem, sed admodum cordate, ingenuaque.

*Finitimas olim gentes quae Marte premebat,  
Finitimis premitur patria nunc gladiis.  
Quaeque auro pacem ducibus, populisque solebat  
Vendere, nunc auro gaudia pacis emit.*

Atque, paucis interiectis.

*Quid patriam laedit? procerum concordia discors.  
Nostra quid euertit rura? Leuis grauitas.*

*Quid*

*Quid prodit regnum? procerum inconstantia constans.  
Quid nos comminuit? prodiga auarities.  
Omnia quid turbat? procerum sapientia demens,  
Qualis & Argolicum perdidit imperium.*

Idem ex itineribus in patriam reuersus, haec, A. c1515 III D. XI Maii, ad Ioannem Schlechtam scripsit, unde statum Bohemiae illius temporis cognoscere licet. Praeter colles, & nemora, in quibus natus, ac educatus sum, nihil in patria reperi, quod me delectet. Pullulant enim passim latrocinia. innumerae oriuntur seditiones. fremunt omnes ordines. populi, nisi proceres ius suum remiserint, iam prorsus ad arma spectant. et domesticos, et externos hostes timeamus. Cum Alberto Bauaro, Philippo Palatino, Friderico Brandenburgensi, etsi non aperto Marte, magnis tamen suspicionibus res agitur. Saxones palam bellum apparant, quantoque lentius incipiunt, tanto constantius perseveraturi putantur. Principes senatus nostri ad imperandum promti, ad iniurias priuatorum persequendas remissi sunt, & quod foedum dictu est, partim inter se ueteri illo inuidiae morbo laborant, tantumque concordant, quantum rei familiari expedit, partim uoluptatibus, & auaritiae seruiunt, cumque & ipsi saepe conueniant, & prouincialium conuentus celebrent, nihil tamen auxilio republicae afferunt. Quid plura? domi, forisque nihil pacati est, nihil spei, res aliquando meliores fore, unde sit, ut nihil patriae boni ominari possim. neque solum apud Pannonios, sed apud Garamantas, & Indos interdum esse malle, Tragicumque illud mecum identidem decanto, Peior est bello timor ipse belli. Extat epistola haec in noua Appendice Epistolarum Hassensteinii, a Thoma Mite curata, p. XI, XII. Inter Carminum Hassensteinii perrara, & ab eodem Mite edita, sub initium statim Satyra reperitur, in qua ille mores procerum, nobilium, &

um, & popularium patriae suae, reprehendit. Multa ibi flagitia & turpissima facinora commemorantur, inter quae illud excellit, de quo canit.

*- En etiam, sceleri ne exempla decesse  
Vlla putes nostro, pretium pro coniuge cepit  
Quingentos auri nummos, quem tempore longo  
Curia nutriuit Regis. neque defuit emtor  
Infandae merci. facti, si forte requiris,  
Poeniteatne hominem? Gaudet, titulosque parentum  
Commemorat, quassatque caput, uelut omnia iuri  
Sint subiecta suo.*

Aliud haud laudabilius commemorat exemplum, in Lucubrationibus Oratoris, p. XI, ubi, Patrum, inquit, nostrorum memoria Vlricus, Goriciae comes, liberos suos, a somno excitatos, bibere cogebat, turpe credens, sine siti posse somnum capere. Refert Aeneas, quendam ex proceribus nostris, filios, adhuc in cunis uagientes, Cretico, Pucinoque uino assuefecisse, quo capita eorum deinceps ex assuetudine fortiora, & ab ebrietate tutiora forent. Haec ille. Vnde liquet, bibacitatem, quam immodestius multi Germanis tribuunt, uitiumque uocant nationis, hic tantum non infusam infantibus fuisse, exemplo, quod minime diffitemur, plane barbaro, & ab omni liberali cultu abhorrente. Ceterum, priusquam a patria Bohuslai nostri discedam, commemorandum mihi elogium est Philippi Melancthonis, quo Bohemorum ingenia literarumque studia ornauit. Extat illud in praefatione Philippi in Cantilenas M. Venceslai Vodniani, quae reperitur in Appendice poematum & carminum Hassensteinii p. CCCXXCIV, ubi inter

alia,

alia, *Multis, ait, saeculis fortitudine, & usu militiae gens Bobemica uicinis omnibus antecelluit. cumque ante annos centum ibi multa membra doctrinae Christianae illustrata sint, studia literarum floruisse in ea gente apparet. qua in re doctores pietatem suam eo ostenderunt, quod omnibus periculis confessionem ueritatis praetulerunt. Nunc quoque multi docti & boni uiri in familiis nobilibus, & plebeis ibi nati, uel studia doctrinae passim iuuant, uel regum consiliis interfunt. Extant scripta luculenta BOHVSLAI HASSENSTEINII. Profuit uniuersae posteritati SIGISMUNDVS GELENIVS, natus in familia nobili gentis Bobemicae. Hactenus Philippus, qui simul pererudite de origine gentis Bohemicae, ab antiquis Henetis ducta, commentatur.*

VIII De parentibus Hassensteinii exigua, quod fatendum, notitia occurrit. Rodericus Dubrauius, cuius supra facta mentio est, Parente, inquit, natus est Bohuslaus homine optimo, & morum elegantia praedito. Hic doleas, Lector, tibi haud paullo incertiori, quam antea, a Dubrauiio abeundum esse. Sed bene factum. Thomas Mitis & patrem nominat, & matrem. illum Nicolaum, hanc Sophiam. Sed caue, plura desideres, aut sciscitere. frustra enim requires: Ceterum tempus natiuitatis perinde latet, nisi quod saeculum XV medium forte attingat, atque adeo incidat eam in aetatem, qua, docente Laurentio Span, in Epistola ad Christophorum Lobcouicium, barbaries foedissima literas humaniores oppresserat, ita, ut uix Itali tum patrii sermonis nitorem asserere potuerint. Fratres habuit Ioannem, & Nicolaum. Illum aliquando Oratorem fuisse ad Innocentium VIII, pontificem Romanum, commemorat, laudatque Vdalricus, archiepiscopus Tridentinus, in literis ad Iulianum, Cardinalem Hostiensem, quae extant in noua

Appendice Epistolarum Hassensteinii, sub initium. Quibus magistris ac praeceptoribus usus sit Hassensteinus, dictu difficile est. Matthaeus Collinus, in epistola ad Georgium Fabricium, Non dubito, inquit, Bohuslaum tantam dicendi, & scribendi facultatem, immo & facilitatem comparasse, & confirmasse ex mutorum magistrorum, praecipueque Ciceronis, & Ouidii diligenti lectione &c. Videas, Lector, ingenii, naturaeque bonitatem, quam, credibile tamen est, non nullis quorundam institutionibus aut excitatam fuisse, aut adiutam.

VIII Sed persequamur hic paullo curatius studium Hassensteinii, quo meliores addidit in iuuentute literas. Generatim industriam eius, prauorumque fugam sodalitorum Dubrauius laudat. *Quantum*, inquit, *alios conuincia, aleae, scorta, tantum ipsum optimarum artium studia delictant.* Ipse Bohuslaus, in Epistola ad Ioannem Schlechtam, quae seruat in App. Epist. p. XIX, *Rem literariam*, ait, *ut cures, maiorem in modum rogo. in hoc enim diuerticulo in primis mens mea conquiescit, & libris, quam gemmis, abundare, non tantum utilius, sed etiam honestius, arbitror, neque ullis impensis pertimescere uelim, sicubi quid saltem nostris studiis dignum sese obtulerit.* Hactenus ille. Poesios tamen, quod negari non potest, singulari quodam, eximioque studio atque amore ductus fuit. Decantat ipse propensissime laudem, praestantiamque huius studii singulari elegia, quae I est L. I, Elegiarum. En summam praeconi, simulque specimen elegantissimi carminis Hassensteiniani,

*Omnia nam pereunt, nisi quicquid plectra sororum  
Eripiunt tenebris, tartareoque lacu.*

Tolle

*Tolle tuam Clio. quid sunt audacia facta  
Pyramidum, & tepidae regia celsa Pbari?  
Aut quis Iasoniam cognoscat Colchida, nultum  
Gorgoneum, & Pylis mellea uerba ducis?  
Tyndaridos facies, Pelignae forma Corinnae,  
Et, cum Quinilia, Cynthia fumus erunt.  
Haec facit, ut Babylon, Memphis, Perseaque Tharsus,  
Ut Tyriae uiuant tecta superba nurus.  
Romuldes, Macedum rector, Perusque rebellis,  
Haec facit, ut uolent cuncta per ora uirum.  
Et mors, quae Reges, turba cum paupere mixtos,  
Cum roseisque rapit candida colla genis,  
Nil in Dircaeos fontes, Phoebumque comantem,  
Nil in Pieridum carmina iuris habet.*

En tibi demum, humanissime Lector, artem illam immortalitatis, quam alii, nostro aeuo, naturae scrutatores exquisiti, sibi, aliisque, longe alia uia, atque ratione, polliciti sunt. Sola poesis immortalem reddit nempe hominem. Sed ecquid fiet de philosophia? hanc, fateor, non nihil passam uideri ab Hassensteinio iniuriae. Singularis eius extat epistola in Appendice Epistolarum p. XXIII, sq. qua in ueteres inuehitur philosophos, nihilque ueretur, assentiri Tullio, nihil tam absurde dici posse, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Sed, caue, ne ipsam sapientiam, eiusque saniores praeceptiones ab Hassensteinio neglectas putes, aut contemtas. quam in sententiam ad Venceslaum Rosaeberccium perscripsit aliquando. *Haec tibi forsitan suspecta sunt, sed, si mores meos cognoscas, facile poteris tibi persuadere, me ab initio adolescentiae philosophum potius, quam oratorem egisse, & diligentius elaborasse, ut uera, quam ut causae meae conuenientia loquar.* Reliqua, unde de

de de studiis iudicemus Bohuslai nostri, ex iis, quae proxime hic dicturus sum, elucebunt.

X Nempe, qua fuit erectiore indole, celsoque animo, noluit Hassensteinius perpetuo in patria latere, sed, cum primum solidioris fundamenta iecit eruditionis, accensus cupiditate plura discendi, ac peregrinas oras scholasque inuisendi, non unam ingressus est peregrinationem, qua de re iam sigillatim uideamus. Ac primo quidem dici non potest, quanta cum elegantia, ac lepore, etsi nimia forte religione, quam superstitionem dicunt, singulari Elegia ad XIII diuos tutelares, de sua ipse peregrinatione exposuerit. Dignum profecto carmen est, cuius aliquod hic specimen prodamus, cum uix sperandum sit, fore, ut aliquando opera Hassensteinii denuo edantur. Extat illud L. II, elegiarum p. LXIII sequ. unde haec deprompta sunt. d)

*Lustrau ducibus uobis Istrumque, Padumque,  
Et uitreas Trebiae lenes fluentis aquas.*

*Lustrau Alpinis manantem collibus Oenum,  
Insuadium, Ligurum, Romulidumque domos.*

*Inde per ancipites quas spectat Narnia ualles,  
Valles, quas oleae fertilis Umber habet,*

*Alphaeamque domat qua dia fluenta Pisam,  
Lambit et Hetruscos turbidus Arnus agros.*

*Alpennigenas arces, & flumina uidi,  
Lydia quae uariis fontibus arua rigant.*

*Vidimus & paruo qua docta Bononia Rheno  
Cingitur, & trifidi moenia picta Padi.*

*Et iam magnum Athesim, Phrygiique Antenoris urbem,  
Et quae de Venetum nomine nomen habet,*

*Illyri-*

d) Idem hoc carmen extat quoque in *Hodoeporicis*, a Nu. Rejnere collectis, editisque *Basileae* cl<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> LXXX

*Illyricosque sinus legi, raucumque Timauum,*

*Et qua Dalmaticam uerberat aequor humum,*

*Et Pelopis populos, & te, Phaeacia tellus,*

*Et te, Dulichii regia parua uiri.*

*Lustrau & pelagus, quod Cretam cingit, & Iden,*

*Et cum uentosa Cypria regna Rhodo,*

*Et latos Syriae tractus, Nilumque tepentem,*

*Qui septemgeminis aequora pulsat aquis,*

*Palmiferosque Arabas, & Memphis rura superba,*

*Et Macedum quondam moenia iacta duci.*

*Hinc post Carpathias hyemes, Pathmonque, Samonque,*

*Vitiferae Lesbou, uitiferamque Chion.*

*Post Smyrnam, curuis & qua Maeander in aruis*

*Ludit, Amazoniae nobile gentis opus.*

*Vidimus Aegaeis dispersas Cycladas undis,*

*Icaron, & Naxon, marmoreamque Paron.*

*Saxosam Myconen, & te, Phocboeia Delos,*

*Et Gyaram, & scopulos, parua Cythera, tuos,*

*Trinacriumque Eriem, flammantemque ignibus Aetnam,*

*Et loca, quae Danaae nomina falcis habent.*

*Cinipbias etiam Syrtes, Aframque Tuneta*

*Accessi, & Tyriae tecta uerenda nurus,*

*Extremosque Italum Calabros, & molle Tarentum,*

*Et quae Diobaeus rura colonus arat.*

Spero, te haud aegre ferre, beneuole Lector, quod ipsum sua tam eleganter canentem itinera induxerim Bohuslaum. Commoneo autem, extare in Appendice carminum Hassensteinii p. CCCXXII sequ. elegiam Hieronymi Balbi, qua eadem collaudantur peregrinationes, &, quod mireris, iisdem fere uerbis, quibus Hassensteinius usus erat. Ne nihil autem addidisse uideatur Balbus, id, quod uulgo dicitur, patriam esse, ubicunque bene est, ita comprobatur.

*Ab quater*

*Ab quater infelix, mundi qui lata perosus  
Regna, potest uni deditus esse casae.  
Est hominum sedes, quidquid duodena per astra  
Temperat obliquae linea curua rotac.*

Dicto fidem ut faciat poeta, lepide canere pergit.

*Non una semper uolucris locat arbore nidum,*

*Non una semper ualle moratur aper.*

*Nil adeo splendet, quod non sordeat habendo,*

*At contra raris gratia maior inest.*

*Cur etenim uxori aulcis praefertur amica?*

*Nempe quod illa frequens, rarior ista, subit.*

Noli uero existimare, Hassensteinium, animi solum explendi causa, tot obisse peregrinationes. Solicite curauit, ut omnia ad prudentiam utilitatemque suam referret. Quae de re, iuuat, audire Laurentium Span, cuius ad Christophorum Lobcouicium literae eodem, quem supra excitauit, extant loco p. CCCXCIII sequ. unde aliqua tantum deprimam. *Circumit, inquit, Bobuslaus terras, & maria, non animo ocioso, & spectator tantum, sed ad exemplar rerumpublicarum praecipuarum suum composuit animum, & hunc prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, quae in heroe nato requiri uidebantur, instruxit. Ad haec intrinseca bona adiunxit externa quoque, non tamen communia. Nam ut ab aliis natura eum singularibus segregauerat dotibus, ita nec affectus cum ipsis congruos habuit. Itaque dum alii, in tali statu, gemmis, & auro suos farciunt thesauros, Bobuslaus noster optimam gazam, bibliothecam collegit.*

Placet, hic inserere ipsius Hassensteinii epistolam, quam ex Aegypto, cum Alexandriae commoraretur, ad non nemi-  
nem perscripsit, unde simul, quo animo, quoque consilio tam remotissimas terras peragrarit, discamus, licet. Extat

illa

illa in Appendice noua Epistolarum Hassensteinii, a Thoma Mite curata, p. X, sequ.

D. IOANNI DE SSELNBERCK,

regni Bobemiae Cancellario

S. D.

**H**aec ad te ex Alexandria scribo. Non contentus enim Iudaea, & Hierosolymis, Aegyptum quoque, & famosissimam urbem, quam aetas nostra Cairum appellat, (ueteres Memphim uocabant,) adii. Multa hic tractus memoratu digna habet, sed quis omnia epistola complecti possit? Coram ista aliquando, Domino propitio, narrabimus. Alexandria olim admodum clara erat, & regum Aegypti sedes. Hoc etiam tempore totius Continentis, qui mari nostro alluitur, nobilissimum emporium est. Indicae, Arabicae, Aethiopiae merces eo confluunt, inde demum occidenti, & nostris regionibus inferuntur. Reperi hic onerariam Genuensium nauem, banc conscendere, & Cycladas insulas, fauces Hellepontii, ruinas Troiae, Constantinopolin, & loca denique tot literis celebrata, uisere paro. Haec enim me, qui ab infantia in huiusmodi rerum inquisitione uersatus sum, plurimum delectant, ceteris forsitan ridicula uidentur, sed ego non uideo, cur me pudeat, eos sequi, qui maluerunt discere situs terrarum, mores & consuetudines hominum perspicere, cognoscere ritus & instituta gentium, quam in patria per otium, & uoluptatem marcere. Haec si tibi probantur, non est, cur aliorum in ea re iudicium pertimescam. sin me falli, errareque censes, is sum, quem uerbo de sententia dimouere poteris. Vale, Patrone dignitatis meae, ualeat & Puta meus tecum. Ex Alexandria Aegypti 1490. Nouemb. 5.

Id sigillatim adhuc commemorandum uidetur, Bohuslaum nostrum, adolescentem, Bononiam, discendi causa, uenisse,

C

nisse,

nisse, ubi in primis in Petri Schotti, ibidem commorantis, amicitiam & familiaritatem receptus fuit. qua de re legenda Hassensteinii epistola ad Ioannem Schlechtam, l. c. p. XV, & Thomas Mitis in uita Hassensteinii. Bononia Ferrariam se contulit Bohuslaus, Iuris Canonici potissimum discendi gratia, fuitque in conuictu D. Ladislai, presbyteri Vespri-  
miniensis, uti ex Petro Schotto docet Mitis. Idem Bohus-  
laus Methone, imino ex naui oneraria iuxta Methonem, A. c. l. c. CCCXCII, D. XVI Apr. ad Stephanum Pisonem scripsit. *Quem me nunc fructum studiorum meorum capere putas? quo affectu uersus canere? qua incunditate priscarum historiarum recordari? Nullae profecto diuitiae, nulli honores, nullae domesticae deliciae tantae sunt, ut cum hac uoluptate, quam ex tot gentium, atque nationum peragratione quotidie capio, conferri possint. Sed tu haec forsitan admittis, ceteri autem suo stomacho accipiunt.* comp. Lucubrationes Oratoriae p. LXVI. Plura de his Hassensteinii peregrinationibus in medium afferre poteram ex literis Georgii Fabricii, sed placuit, eas integras ad finem huius commentationis reicere, quo lectoris cupiditati, aut satietati aequae consulatur.

XI Hactenus de doctrina Bohuslai, & quas ad augendam illam suscepit, peregrinationibus. Non praetereundum autem est, ipsum arma quoque haud minori fortitudine gessisse, atque adeo belli, pacisque artes tenuisse. Hoc illud est, quod Thomas Mitis canit de laude Hassensteinii.

*Vir pius in patria bellum civile retundit,  
Sustinet ob patriam, cum patriaque, mori.*

*Hostibus arma mouet dextra, uirtute resistit,  
Ac studet a sera posteritate legi.*

De eodem Ioannes Trittenhemius perhibet, quod, praeter  
consue-

*consuetudinem nobilium istius aetatis, & arma tractarit, & literas coluerit.* Singulare est, quod eam ob causam ad Hassensteinium scripsit Petrus Schottus, in epistola A. c. l. c. CCCXXCVIII exarata, cuius partem exhibet Thomas Mitis in uita Bohuslai. *Atqui accepi, inquit, tibi arma parari. Ut quid, obsecro? Num te feliciorum in armis speras M. Cicerone, cuius es discipulus?*

*Haud bene conueniunt, nec in una sede morantur  
Mars & Calliope.*

*O si te armatum contueri mihi liceret, quam tu mihi, ut studiis, & bonis artibus aptissimus, ita militaribus insantiis ineptus uidereris? Sed parce impudentiae meae.* Parcamus igitur & nos certe praecipitato Schotti non minus, quam Gabrielis Nandaei compari iudicio, qui non ignoramus, illustres, doctissimosque uiros militiae quoque deditos fuisse, quos diligenter commemorat Io. Burchardus Menckenius, V. C. singulari, quae extat, dissertatione, quam nuper accessione non contemnenda auxit Gothofredus VVagnerus. Sed uterque omisit Hassensteinium, quem indicauit tamen Ioannes Henricus von Seelen, erudita hoc de argumento digressionem in Oratione de eruditis praecocibus pag. XXXIV, sed perperam illum *Bogislaum* ab Hassenstein uocauit.

XII Iam, ut ad publicos, quibus ornatus fuit Bohuslaus, honores ueniamus, principio commemorandum uideatur, eum, cum apud Italos esset, Iuris utriusque doctorem renunciatum esse, dubium, quo potissimum tempore, quae in Academia, Bononiensi, an Ferrariensi. Ita enim, ambigue uidelicet, Thomas Mitis. *Deinde Bononia, & Ferraria, in quibus testimonium uirtutis, ac eruditioris cum insigni Doctoratus I. V. accepit.* Sed id quidem honoris cum multis commune Hassensteinio, etsi singulare utique, in uiro tanti

natalium splendoris, exemplum. Dispicimus autem de ceteris dignitatibus. Considerandum in primis hic, cui maxime uitae generi se destinari. Ac de uita quidem in aulis degenda ita ad Ioannem Schlechtam scribit literis, quae extant in Append. noua Epistolarum Hassenst. p. XVIII. *Quod autem quaeris, an numero aulicorum adscribi uelim, id potuisti ex nostris colloquiis Budensibus colligere. Si enim mihi de loco honesto prouisum fuerit, non est, cur procellas curiales subire ad tempus abnuam. Egere autem, & more aulicorum uestrorum in mendicitate uersari, non est tanti apud me, ut ab officio literario recedere uelim. Numerum praeterea equorum cuperem, si fieri possit, ad duodecim extendi, &c.* Reperi certe, Bohuslaum aliquamdiu in regis Pannonum aula uersatum esse, & nunc regii Secretarii, nunc Archi-Cancellarii Bobemici titulo, dignitateque usum esse. Sed profecto non placuit illi uita aulica. Audiamus ipsum conquerentem in epistola ad Bernhardum Adelmannum, Buda perscripta, Epist. L. II p. XCV. *Quod ad me, inquit, attinet, uersar hic inter aulicos, purpuratosque, honoro alios, honoror & ipse, arrideo, arrideturque mihi. Haec an mei stomachi sint, facile existimare potes, certe pauca, quae probem, hic inuenio. De ecclesiasticis autem honoribus ita, ingenue nempe, pronunciat, in App. Ep. p. XVIII. Ceterum haecenus ita aetatem traxi, ut dignitates ecclesiasticas neque ambirem, neque frangerem. Hoc quoque tempore non muto consilium, sed utramque fortunam ferre paratus sum. Interim factum tamen est, ut, cum Venetiis adhuc in itinere uersaretur, Olomucensem in Morauia episcopatum uacuum relictum, & sibi a nonnullis destinari, audiret. Singularis est, quam ea de re perscripsit in Bohemiam, epistola, extatque Epist. Hassenst. L. I, p. LXVI, unde ingenium simul, animumque Bohuslai cognoscas.*

STEPHA-

## STEPHANO PISONI

S. D.

**B**inas tuas ad me literas Venetiis offendi. In utrisque id molestum fuit, quoniam ex senis nostris unas duntaxat ad te peruenisse ex his intellexi. Cetera me uarie, uarieque affecerunt. Delectabat me Pontificalis honor, & quae alii tanta ambitione appetunt, mihi sponte obuolare gaudebam. Sed sarcina, quae tantum honorem comitatur, magnopere terrebatur. Consciens enim imbecillitatis meae, hanc prouinciam non reformidare non possum, praesertim cum minime, ut futurus episcopus, adolescentiam transfegerim. Huc accedit, quod plebs haec non solum humanis istis, uulgaribusque uitiis corrupta, sed etiam innumeris infecta haeresibus est, ut, etiamsi omnes homines sua consilia in unum conferrent, uix quicquam auxilii afferre possent. Quod si Plato a Cyrenaeis uocatus, ut ciuitati eorum leges scriberet, iuste proficisci ad eos recusauit, quoniam tot malis moribus, consuetudinibusque deprauatos uix unquam sub legibus uicturos arbitraretur, quanto ego iustius hoc onus potius, quam honorem renuerem, cum neque ipse Platoni conferri possim, & N. Cyrenaeis longe corruptior, deprauatiorque sit. Ceterum solatur me diuina benignitas, quae & sapientiam sapientum perdit, & humilibus, paruulisque dat gratiam. Incircumcisus erat labiis Moses, & tamen populum illum tam durae ceruicis ex Aegypto duxit. Paulus ex persecutore Apostolus factus est. Quantus in ecclesia Dei Augustinus? hunc tamen cupiditates, libidinesque adeo uinctum detinuerunt, ut sine iis uitam humanam omnino nullam esse putaret. Forsitan & nostri aliquando miserabitur Dominus, & quotidie magis, ac magis in praecipua ruentes, uirtutis, & clementiae suae dextera continebit. Haec tibi nimium religiosa uidentur, aut, ut tu appellas, melan-

C 3

cholica,

*cholica, sed tamen uera. Vale. Ex Venetijs XI. August. M. CCCC. XCI.*

Interest, ut rem paullo diligentius exponamus. Ac primo quidem Bohuslaus non solum ab Vdalrico, archiepiscopo Tridentino, maiorem in modum Cardinali Hostiensi commendatus, sed etiam ab ipso Capitulo Olomuccensi delectus, atque designatus fuit. Dignae sunt literae archiepiscopi Tridentini commendatitiae, quas hic afferam ex noua Epistolarum Hassensteinii Appendice.

*VDALRICVS, archiepiscopus Tridentinus, Reuerendiss. in Christo Patri ac D. D. IULIANO, S. R. E. Cardinali Hostiensi & c. post humilem commendationem, ac debitam reuerentiam*

S. D.

**R**euerendissime D. Quoniam D. V. R. pro erigendo statu reip. Christianae cupientissimam esse, omnes fatemur, & praedicamus: & quoniam Reg. N. ob suas haereses in sanctam ecclesiam Catholicam & Apostolicam contumacissimum est, ita, ut ex omnibus ecclesijs cathedralibus nulla sit, quam Olomuccensis, reliqua: & quoniam, quid mali ductores ibi perperam egerint, aut agant, ex episcopo olim Merindolae, qui illic est, facile sentitur, ut certa sit supputatio, quid bonus pastor praestare ualeat: ego, qui intellexi, ad episcopatum Olomuccensem desiderari quendam Baronem Bohemiae, Bobuslaum de Hassenstein, fratrem illius Ioannis, qui olim Orator fuit ad Innocentium, nunc papam nostrum, VIII: existimari meorum partium esse, ut pro communi utilitate reipublicae Christianae eundem uirum, quem Ferrariae in iisdem aedibus & familiarissime tractauimus, & cognouimus, D. V. R. pro ueritate ualide commendarem. Est enim (per conscientiam meam) praeter nobilitatem, praeter etiam id, quod

Univ. Bibl.  
München

quod ex ea est patria, & praeter cetera bona tam externa, quam corporis, uir plane doctissimus: eruditus latine, et graece, Rector, Philosophus, Jurisperitus, & in diuinis libris sane instructus: unde plurimas sibi uirtutes comparauit, adeo, ut sit modestus, sobrius, continens, rerum humanarum contentor, pudicus, castus, ut nihil lasciuiae, nihil deliciarum in eo deprehendi possit. Id testimonii per conscientiam meam damus, ut D. V. R. si unquam aliqua est mihi apud eandem fides, pro integritate sua, quid inter haereticos, pro amplificatione nominis Jesu Christi, faciendum esset, certius consulat. Valeat D. V. R. cui me valde commendo. Tridenti, in arce nostra Boni Consilii, VIII. Decembr. 1490.

En tibi, lector, insignem, & religiosam commendationem, & effusae fere laudes Hassensteinii nostri. Quod cauet autem archiepiscopus Tridentinus, ne quid detrimenti capiat respublica Christiana ex nouis Bohemiae haereticis, id ad fratres Bobemicos pertinere, facile intelligitur. Sed adiiciamus literas, ipsius Capituli Olomuccensis nomine, ad summum pontificem, eadem in causa, perscriptas.

Exposuimus iam pridem, beatissime Pater, Serenissimo D. nostro, Regi, pericula reip. nostrae, quae Maiestas sua non dubitauit literis, nunciisque S. T. nota facere, neque tamen ex eo tempore quicquam huiusmodi factum est, quo imminenti nobis malo consuleretur: Nos autem interim erramus, tanquam oues sine pastore, & insidiantibus lupis ad omnem iniuriam patemur. Dolemus mirum in modum, nos eo redactos esse: dolemus, ingemiscimusque, plus ualere iniquas aliorum suggestiones, quam iustissimas preces nostras, & plus audiri eos, qui lanam spectant, quam qui salutem ouium quaerunt: quid enim aliud suspicari possumus? Elegerunt Patres Capituli Olomuccensis in episcopum Bobuslaum de Lobkowitz, & in



Et in Hassenstein: huius electionem Regia Maestas mira alacritate approbavit: hunc non nobilitas tantum, sed omnes omnium hominum Ordines tanto, quanto vix unquam alium, studio, consensuque expetunt: minime, tamen confirmari potuit, quoniam scilicet S. T. eundem episcopatum alii contulit. Id enim solum in causa esse putatur. Ceterum nos R. Cardinalem Montis Regalis credimus magnum, et illustrem uirum esse, neque tamen eum, quem praefici oporteat. Quid enim nobis fructus aut utilitatis asferre poterit? Ille publico Iudicio nobiscum praesidebit? Ille ius litigantibus dicit, qui Romae degit, et forsitan nunquam Ecclesiam suam aditurus est? Illene mores formabit, et linguae, et consuetudinum nostrarum prorsus ignarus? Illene haereses quotidie pullulantes sopiet, et extirpabit, quarum origines, fundamentaque solo auditu cognoscit. At Bobustaus inter nos natus, educatusque est, qui, si nulla alia re, ea certe potior est, quod maiori auctoritate ad pontificatum perueniet, maiori que gratia populorum, fauoreque excipietur: et quicquid nobis oneris pro officio suo imponet, id acceptius, tolerabiliusque uidebitur. Quid? quod multa illius Ecclesiae castella, praesens illis tempestatibus, ab iniustis possessoribus occupata sunt. Neque dubium est, si tumultus aliquis, bellumue orietur, quod apud nos pene assiduus est, quin reliqua quoque simile naufragium passura sint. Ita fiet, ut, dum uni plus aequo studetur, totus ille pontificatus, cum magna prouinciae nostrae pernicie, et Romanae sedis pessum eat. Num enim a Cardinale Montis Regalis defendi poterit, qui nullas hic clientelas, nullas amicitias, sodalitatesque habet? Excommunicabit scilicet, et a corpore militantis ecclesiae praeciae: quasi non sit multis experimentis notum, tale genus hominum quanti spicula Ecclesiastica faciat? Inuiti haec scribimus, S. P. neque quod aduersari

uersari Sanctitati Tuae, aut ullam culpam adscribere uelimus. (Scimus enim, quantum ueri Dei uicarius in terris potest.) Sed eos nobis graues putamus, qui ea tuis auribus inculcaverunt, quae et iuri, et aequitati contraria sunt: apud quos plus aurum potest, quam Christiana religio: quorum tanta est ambitio, atque auaritia, ut, dum eam expleant, et suas et aliorum animas perditum iri, facile patiantur: hos, inquam, detestamur, neque nobis solum, sed etiam, immortalis Domino exosos credimus. Quamobrem S. P. quoniam praesentes non possumus, saltem absentes, tuis sacris pedibus prouoluti, humiliter precamur, ut tandem misertus nostri, memoratum Bobustaum nobis confirmes. Moueatur S. T. felix memoria Frederici, Imperatoris, qui hominem tibi literis suis commendauit: moueatur Serenissimus rex, dominus noster, deuotissimus Ecclesiae filius, qui id iam diu ex animo optat: moueant denique aequissima postulata nostra, qui inter tot persecutiones semper obsequentiissimi Romanae sedi mansimus. Consideret S. T. mora haec quam periculosa sit. Violantur passim iura, immunitatesque Ecclesiae: deprauantur mores: Clerici, Laicique ex arbitrio suo uiuunt: Innumerae consurgunt haereses, et animarum infinita uis in gehennam ruit, dum non est, qui negotia Ecclesiastica aut consilio regat, aut auctoritate moderetur. Haec si a S. T. impetrabimus, optime animabus nostris consultum arbitrabitur: sin autem S. T. in sententia perseuerabit, id saltem oramus, ne, quaecumque deinceps euenient, nobis tribuantur.

Ita nempe Patres Capituli Olomuccensis ad summum pontificem Romanum, e) illum ueri Dei uicarium in terris, scilicet Libere profecto, ut fati pateat, credidisse Patres illos, licere sibi aliquando, SANCTE PATER, QUID FACIS,

D

percon-

e) Fuit is Pius III, uti ex temporum ratione colligere est.

percontari, qui tamen prohibere, ne faceret destinata, non potuerunt. Irritae enim fuerunt quantaecunque Friderici III Imperatoris, Vladislai, regis Vngariae, & Bohemiae, Vdalrici, archiepiscopi Tridentini, denique Patrum Capituli Olomuccensis commendationes. Reperi in quadam Joannis Schlechtae epistola, Stanislaum Turzonem postea creatum esse episcopum Olomuccensem, qui, an sit ille Cardinalis Montis Regalis, de quo Capituli Olomuccensis Patres ad Pontificem Romanum, non liquet. Postea eidem Hassensteinio destinatus fuit episcopatus Wladislaiensis, sed neque hoc potitus est. Vnde Joannes Schlechta aliquando ex aula regia ad Bohuslaum nostrum scripsit. *Nescio, quo malo fato semper ita euenit, ut in rebus tuis nunquam uoti compotes esse possimus. Et forsitan diuina Maiestas, cui omnia prius, quam fiant, cognita sunt, uidens, quod tibi aliquid ex eo, quod optauimus, si fuisses assecutus, mali, & incommodi contingeret, mauult in alium, quam te innocuum, hoc conseruare, & retorquere. Quod si ita est, committamus haec uoluntati, & arbitrio diuinitatis suae &c.* Relinquitur igitur, quod supra dixi, aliquamdiu in aula regis Pannoniae, & Bohemiae uersatum esse Bohuslaum, deinde, cum haud semel spe sua excidisset, omnibus demum renunciassent muneris, dignitatisque capeffendae consiliis, seque priuatae dedisse uitae, & literis otium suum oblectasse. Quam in sententiam Joannes ille Schlechta iterum. *Gratulor tibi plurimum, inquit, quod te istis curiae molestiis, uel potius miseris tempestiue eripuisti, & quietae uitae simul, & honestarum literarum studiis tradidisti. Nos hic, more solito, in medio a-cernuorum auri, & argenti, cum regis f) miseri, & inopes uiuimus,*

f) Vladislao nempe, Alberti postumo, de quo comp. *Aen. Siluius*, in *Hist. Bohem. C. LVIII*, & *Ronfin. Hist. Vngar. decad. III, L. VIII*

*uimus, & puto, amplius uiuemus. Nisi enim Maiestas sua rebus suis aliter consuluerit, & prouiderit, uereor profecto, ne crescentibus malis his, nosque quotidie magis urgentibus, regnum istud breui relinquere, & alio se nobiscum conferre cogatur. &c.*

XIII Ex iis, quae supra attulimus, iam procliuè est, de indole, moribusque Hassensteinii quoquo modo iudicare, idque omne luculentius ex uniuersa commentatione patebit. Iuuat autem, hoc loco, non nulla, in eandem sententiam, commemorare. Honestissimum uirum fuisse, qua amplissima, & equestri laude nihil hodie, apud Gallos maxime, uel gloriosius, uel praestantius, facile comprobari potest, idque in primis Rodericus Dubrauius docet, in Oratione iam supra excitata. *Opibus, inquit, non paruis abundat Hassensteinius, quas non calliditate, non assentatione, non uexationibus, sed optimis actionibus sibi comparauit. Nunquam his, qui suae sunt ditionis, pecunias imperat. Nullos extra aequitatem poena afficit. Hominiibus paupertate laborantibus res familiares impertitur. In filiarum elocatione amicis suas facultates suppeditat, quoniam hac semper fuit sapientia, ut nihil homini esset praestantius, quam si suas opes ad munificentiam, liberalitatemque conferret. Qua fide, ac integritate soluerit amicitiam, id uobis, qui cum eo amicitiam, societatemque coluistis, luce clarius est. Quanta est illa laus? qui amicorum incommodis uehementer angitur, ad eos pristinae dignitati restituendos, nullum sibi laborem defugiendum putat. Ipsos semper consiliis, & studiis adiuuat. Nullum uerbum ab ore eius excidit, quo quispiam offendi possit. Neminem frustratur, neminem ludibrio habet, nullam beneficiorum memoriam deponit. Homines integros, pios, sanctos in suam amicitiam recipit. In eos uero, qui se*

*scelere astringunt, ab eo conuitia fiunt. Eum sibi inimicum putat, qui contra rempublicam arma fert &c.* En tibi uirtutis, laudumque decora, quae complexus fuit Bohuslaus. Quod si reliqua omnia, quae uulgo ad dignoscendam indolem, moresque hominis adhibentur, comparo, facile in eam ingredior sententiam, Hassensteinium *sanguineo-cholerico temperamento*, quod uocant, & affectione, habituque fuisse. Certe omnia ad honorem, amoremque conciliandum retulit, auaritiae autem dedit nihil. Narrat Thomas Mitis, in Hypomnematate ad Appendicem Poematum Hassensteinii, Iohannem, seniore, a Lobcovvitz, cum aliquando ex antiquo codice Bohuslaum audiisset asserentem, in epistola ad Bern. Adelmannum, *quod audior esset librorum, quam pecuniae*, exclamasse. *Ille uir fuit, sed nos nescio, quid &c.* p. CCCXVII. Ceterum libere egit Hassensteinus, neque dubitauit, aperte magnorum uitia uirorum arguere. Damnauit se uere male facta. Impense laudauit, si qua recte facta, gestaue uiderit. Famae, atque existimationi studuit diligenter, neque tamen ambiciosius sectatus est honores, & publica munera. Odit, fugitque uoluptatem, libidinemque, honestis uero animi, studiorumque relaxationibus subinde aliquid temporis dedit. Quae quidem omnia multo luculentissime ex ipsius opusculis apparent. Vnde non eleganter magis, quam uere cecinit de Hassensteinio Hieronymus Balbus, sub finem App. Carm. p. CCCXXXV.

*In te mixta fluunt probitas, & forma, genusque,  
Par decor, & uirtus nobilitate tua est.  
Corde tuo residet meliori culta metallo  
Iustitia a nostris inuiolata malis.  
Quae nec blanditiis, nec lucro peruia, rectum  
Utilibus suadet praeposuisse bonis.*

Haec

*Haec exosa dolos, nullique obnoxia culpae,  
Pectora fert pura candidiora niue.  
Te uocat ad certos collecta modestia fines,  
Nec finit emenso transsiluisse modo.  
Non Venus illecebras suadet, nec inertia luxum,  
Temperat esca famem, temperat unda sitim.  
Nec leuis ambitio, sordes fucata genarum,  
Suadet, ut occulta fraude petatur honos,  
Mens quoque robur habet, nil concessura periculis,  
Quam scelus in nullum spesue, metusue rapit.  
Immineat Siculus quamuis cernicibus ensis,  
Et graue Sisyphia sorte recurat onus.  
Nec te liuor edax, rebusque superbia lactis  
Foeda comes, praeceps exagitatue furor.  
Quin etiam uigiles agitans Prudentia curas,  
Euentura tibi cernere posse dedit.  
Haec facit, ut nullis mens sit fuscata tenebris,  
Nilque geras, quorum poenituisse uelis.  
Os tibi mite quidem, sed pectus mitius ore,  
Moribus effigies conuenit ista tuis.  
Scribitur in uultu tacitae sententia mentis,  
Frons aperit, quidquid dissimulare cupis &c.*  
Notatu dignissimum est, quod, interiectis aliis, subiicit poeta.

*Cuncta tibi Superi pariter Bohslauē dedissent,  
Si pius in patriam candidiorque fores.*

Id uero quo ualeat, facile ex iis, quae supra de patria Hassensteinii commonuimus, intelligi potest.

XVIII Iam quae professus sacra sit, quam coluerit religionem Bohuslaus, uideamus. Nempe Catholicae illi, uel, si maus, Romanae ecclesiae, uere *dominanti* eo tempore

D 3 religio-

*religioni*, deditissimus fuit. Dicitur non potest, quanto studio, ac contentione & auctoritate papae, & coetus Romani praestantiam extollat, atque propugnet. Exstat uerbosa eius epistola ad Ioannem de Domaslauia, in App. noua Epist. Hassenst. p. XXVII sequ. ubi contra non neminem, g) qui aduersus papam, & Romanam ecclesiam aliqua scripserat, acriter disputat, iramque omnem effundit. *Ignosce*, inquit, *mibi amicus iste*, si, cum canes pro dominis latrare soleant, ipse quoque pro Christo, cuius sponsam pessundare conatur, non tacuero. - - *Luciferiani ex gloria Dei lupanar factum, questi sunt, quos amicus noster sequi uideretur.* Fortasse autem hic Ioannem VViclefsum temeritatis ducem habuit, apud quem familiare est, ecclesiam Romanam esse synagogam Satanac. Ceterum debebat propter deum sententiae eorum exitus perhorrescere, quorum facta imitatur. *Arrius, Alexandrinus presbyter, cum opus naturae necessarium ageret, uiscerum partem emisit &c.* - - *Iste Gorgias Leontinus nostri temporis Romanum praesulem, omnium fidelium patrem, cui Dominus in persona beati Petri & oues suas commisit, & clauas aeternae uitae dedit, offerentem ouile erroneo gregi, offerentem sinus ecclesiae, & coelum ipsum, aspernatur, ridet, rodit, lacerat, &c.* - - *Ego uero longe aliter sentio, neque enim unquam a Romana ecclesia quicquam decretum est, quod non tum diuinarum literarum testimonio, tum probabili testimonio confirmari possit.* - - *Quanta sit temeritas huius leuissimi nebulonis, quanta insania, quanta denique rabies, quis satis diu explicare possit? &c.* Taceo, quanta superstitione Beatae Mariae, uirginis, praeconia extulerit, eamque religiosi precibus

g) Fuit is, quod mihi haud dubium uidetur, Ioannes Rokyczana, famosus ille Calixtinorum in Bohemia Pontifex, de cuius uita singularis extat dissertatio V. C. Io. Dau. Koeleri, Prof. Altorf.

precibus ueneratus sit. quorsum legi possunt ea, quae extant in Carminibus eius p. XXX, LIX, & CIV. Eidem hic excedit omnem uiri superstitionis, cuius aliqua saltem addamus documenta. Ita uero, detestandum fere in modum, ad Mariam canit, p. LXIII.

*Opprimar a scelerum quantumuis mole, tamen me  
VIVERE SVB LATIA RELIGIONE IUVAT.*

*Nunc ades ergo, uo. per sumtum e corpore corpus,  
Et per Virginei mystica claustra uteri.*

*Per uulnus lateris, per tinctos sanguine claues,  
Per nati colaphos, ferta, flagella, tui.*

*Te freta, te tellus metuit, tibi machina mundi  
Seruit, & immensi tractus uterque poli.*

*Paret & ipse dies, parent & tempora noctis,  
Parent, quas peragunt sidera cuncta, uices.*

*Mira potes genitrix, nostro in discrimine monstra,  
Quae potes, & uotis annue, quaeso, meis.*

*Da castum pectus, uacuam da crimine uitam,  
Et scelerum e collo pondera deme meo.*

*Da mihi stelligeram quicquid perducit ad arcem,  
Eruit & nigris e Phlegethontis aquis.*

*Non sine me nigri demergi faucibus orci,  
Non sine damnatae cernere tecta domus. &c.*

Ac iterum p. CIV.

*O Regina poli, cuius clementia summa est,  
Vitae dulcedo, spesque salutis, aue.*

Quae de regina poli canit, in mentem mihi reuocant id, quod elegantissimus, doctissimusque Petrus Baelius copiose, miroque cum ingenii, iudiciiue acumine disserit de cultu Beatae Virginis aulico, in Dictionario Historico, & Critico, Tom. III, v. Nestorius. Ceterum subiuncta est  
Lucu-

Lucubrationibus Oratoriis epistola Hassensteinii, qua Vladislaum, regem, ad opprimendos haereticos summa animi contentione excitare studet, tandemque ita perorat. *Age tandem, optime Rex, accingere ad hoc salutare facinus, & omnium, quae hactenus gessisti, pulcherrimum. Moueant te tot fanorum, monasteriorumque, in quibus olim Dei laudes assidue personabant, ruinae, moueant te sacerdotes & monachi, uelut oues sine pastore passim dispersi, moueat te plebs mille infecta pestibus: eam e seruitute Satanae, & filios prodigos matri ecclesiae redde. Hoc reges, populique Christiani abs te petunt, hoc maximus pontifex flagitat, hoc uenerabilis Cardinalium coetus omnibus notis exposcit, hoc diuus Venceslaus suo quodam iure exigit, qui te ideo fortassis ad hanc aetatem suis precibus incolumem perduxit, ut Ecclesiam, cuius fundamenta ipse iecit, ad pristinum decus euehas. Adde hoc unum tuis bello, paceque, egregie gestis, quod Graecae, Latinae, Barbaraeque literae prae cunctis aliis celebrabunt. Fac, ut Angeli laetentur, qui magis de uno peccatore gaudent, quam de XCIX iustis, sic in saeculo hoc clarissimus omnium eris, sic post uitam hanc in sedibus piorum constitutus, cum beatissimis illis spiritibus immortalis aeuo sempiterno fruereis. &c. Id omne uero haud male forte doctissimus Heumannus, ea in prolusione, de qua supra dixi, pharisaicum quendam zelum, & impiam pietatem, interpretatur.*

XV Vt cunque uero demum ea sint, fateamur, oportet, Hassensteinium, etsi, pro illius infelicitate temporis, papaeae religionis tenebris ipse quoque inuolutus fuerit, multas tamen & uidisse, & aperte arguisse corruptelas, unde uix dubitem, hactenus in ueritatis testium eum numero ponere, qui proxime ab emendationis sacrorum, per Lutherum peragenda, temporibus abfuerit. Lectu dignissimum est,

est, quo modo Iulii II, pontificis eo tempore Romani, dedecus exponat, eidemque liberrime exprobet, in Carminib. p. IV

*Humani generis dignissime rector, ouilis  
Aeterni qui claudis iter, quod sidera confert,  
Et referas, superae qui uerus ianitor aulae  
Crederis a populis.  
- - - At tu, si fas est dicere, Praesul  
Optime, Romana laetus requiescis in arce,  
Et digitis aurum uersas, & multa, modesto  
Dissimulanda, facis, insusque abscondere ferrum,  
Decernis ferro, turbarique omnia saeuo  
Marte sinis. Taceo coelum uenale, deumque,  
Et dominos ueteres pulsos, ingensque pudendae  
Imperium sobolis. Sed non sic itur ad astra,  
Non iubet haec coeli frenator.*

Idem in Alexandrum VI, papam, hoc scripsit epitaphium, quod extat in Carminib. p. XXCVIII

*Cui tranquilla quies odio, cui proelia cordi,  
Et rixa, & caedes, seditioque fuit.  
Mortuus hac recubat, populis gaudentibus, urna,  
Pastor, Alexander, maxima Roma, tuus.  
Vos Erebri, procures, nos coeli claudite portas,  
Atque animam uestris hanc prohibete locis.  
In Styga nam ueniens pacem turbabit Auerni,  
Committet Superos, si petat astra poli.*

Plura huius generis non sine iucunditate legi possunt in Carminibus illis Hassensteinii. In primis autem sacri ordinis uiros aeuo sui, indignam sanctissimo munere officioque suo uitam degentes notauit. Afferam huc testimonia quaedam ex Lucubrationibus eius Oratoriis. Ita p. XXXII, *Neque*

hoc tempore defunt, inquit, Ecclesiastici, apud quos omnia uenalia sunt, & qui, tanquam reges Partiborum essent, neminem ad se sine munere admittunt. Non auferem haec attingere, nisi scirem, multorum iam literis id memoriae mandatum esse, & nuper Baptista, Carmelitanae religionis sectator, luculento carmine cecinit &c. Eundem fere in modum p. XCV, Ecclesiastici, ait, crebrius de nummis, quam de caelo loquuntur, saepiusque Nemesim, & Laidem, quam Christum, in ore habent, quodque uix tolerabile est, plus Plauto, Vergilioque, quam Euangelio, incumbunt, & studiosius Epicuri dogmata, quam decreta Pontificum euoluunt &c. Ac denique p. CXLI, Neque item, inquit, ab hac culpa Ecclesiasticos eximo. - - Plerique enim ex iis ne dissimulant quidem, se nomine Spiritui, operibus autem Carni, ambitionique uacare, neque tam de animarum salute, quam de opibus cumulandis, & patrimonio ecclesiarum suarum conseruando sollicitos esse. Vnde fit, ut profani principes, exemplis talibus deprauati, & ipsi ruant, & uulgus secum in praecipitium trahant. Dura est omnino sors nostra, & conditio perquam miseranda &c. Nolo plura addere, cum ex his iam pateat, Hassensteinium praecipuos pontificiarum corruptelarum fontes non prudenter magis intellexisse, quam cordate damnasse.

XVI Iam, ut reliquam quoque exponamus uitam Bohuslai, haud alienum ab instituto fuerit, quaerere, an in matrimonium unquam uxorem duxerit, ex eaque liberos procrearit. Equidem ipse Hassensteinus haud semel Carlotam suam laudat, et in Carminibus quidem ita de illa canit p. CXLV

*Miratur Nemesim lasciuu Musa Tibulli,  
At nos Carlotam praeferimus Nemesi.*

*Illius*

*Illius obsoeni passim narrantur amores,  
Carlotae probitas cuncta per ora uolat.*  
Ac iterum, eodem loco.

*Dulcibus illecebris, & multo dicitur auro  
Carlotam Henricus sollicitare meam.  
Indignor, uoluisse quidem. sed flumina sistet,  
Atque sua citius sede mouebit Athor.*  
Addamus & alium locum p. CXLVII.

*An mea Tyntaridi par sit Carlotae, requiris?  
O te Pboenicem, Tiresiamque nouum.  
Formosa est Helenae facies, formosaque membra,  
Formosissique tegit candida colla comis.  
Hanc animi probitas, hanc omnis denique uirtus,  
Hanc ornant lepidis seria mixta iocis.  
Carlotae sanctos mores, uitamque pudicam  
Mundus, Ledeae cantat adulterium.  
Illa libidibus clara est, haec clara pudore,  
Et quae sit, dubitas, anteferenda tamen?*  
Postremo denuo de domina sua, uti est in inscriptione, hoc condidit epigramma, p. CXXX

*Non ego riuales timeo, fiducia nostra est  
Tanta, & Carlotae de probitate fides.  
Apponant alii custodes, tutus amabo  
Ipse inter Samios, Dulichiosque procos.*

Sed enim ex his omnibus minime colligas, Carlotam illam, quam eximie laudat, & forte haud minus amauit, coniugem fuisse Hassensteinii. Vnde & quae in infantem Henricum, & puellam Catharinam a Lobcoviz, epicedia scripsit, quae inter Carmina extant, nihil omnino ad probandum Bohuslai coniugium faciunt. Interest potius, ut uideamus, quid generatim senserit Hassensteinus de uita, statuque

ruque coniugali, uti uocant, maxime eruditorum. Quorsum afferam epistolam eius lectu haud indignam, quae reperitur in Epist. Hassenstein. L. I, p. LVIII

IOANNI RIDNERO

S. D.

**E**t si arbitror, nonnullos esse, qui tibi uitio dant, quod aetate iam grandisculus uxorem duxisti, ego tamen non improbabili, ut mihi uideatur, ratione, prouide te, sapienterque fecisse, aio. Nam & melius, honestiusque est, coniugio alligari, quam uaga libidine uti, & is demum liberis gignendis aptus est, qui educare eos scit, & tales reddere, ut uita digni sint. Cuius rei in hac barbarie nostra tibi potissimum palmam tribuo, qui non solum usu rerum, sed etiam doctrina ceteris praestas, quanquam hoc tempore minime tanto studio, atque diligentia literis incumbere poteris. Neque enim curae, & sollicitudines, quae rem uxoriā consequuntur, libere animum sapientiae uacare sinunt, nisi forte adeo fortunatus fuisti, ut huiusmodi uxor tibi obtigerit, quae non solum moribus abs te institui, sed etiam literis erudiri uelit. Quale monstrum si Boemia nostra ferret, bimembrem puerum natum, & pisces sub aratro inuentos, putarim. Quae tamen omnia te circumspexisse, & nihil omnino temere egisse, certo scio. Illud enim ridiculum est, quod quidam dicunt, te nuptiali facci, utpote uigiliis, & lucubrationibus exhaustum, parum idoneum esse. Neque enim adduci possum, ut tantam provinciam assumeres, nisi tibi conscius esses, te sufficere ad insatiabile illud barathrum explendum. Si tamen imprudens errasti, censeo, Thymbra utendum, aut eo remedio, cuius opera uxorem in officio continere possis, quae tum demum frugi erit, si te non solum nomine, sed & re maritum cognoscat. Vale. Liceat quoque mihi, aliqua ex eiusdem Bohuslai ad Christianum

stianum Langkhemium literis, quae extant Epist. L. III, p. CX, huc repetere, ubi, *Quod quaeris, inquit, an homini studioso literarum uxor ducenda sit, non est mihi tantum in praesentia otii, ut tibi ita, ut res exposcit, respondere queam. Vulgata etiam ea quaestio est, & a multis, tam Graecis, quam Latinis tractata, & in quamcunque sententiam declinaueris, non deerunt tibi & exempla, & adspiratores. Si autem utique necesse est, quae sentio, paucis explicare, puellae Germanicae delicatioris mihi uidentur, quam ut coniugium literati ferre possint. itaque quod in Graecia, Italiaque tolerabile forsan esset, nostratibus uix expedire, arbitror, nisi aliquam Hipparchen, aut, quoniam apud Germanos res agitur, Hrosvitam nactus es, quae non solum tori, sed etiam studiorum tibi socia sit. Ego certe nescio, an quem in Germania ex coniugatis magni in literis nominis cognouerimus &c.* Habes ergo & hic Hassensteinium nostrum eruditum coelibem, cuius generis complures recensuit nuper non nemo, neque hunc tamen commemorauit, quod exemplo est, subinde literatos eiusmodi indices nouis augeri accessionibus posse.

XVII Uxorem non habuit in matrimonio, neque liberos genuit Bohuslaus, abundauit autem fere amicis, ac familiaribus numero plurimis, uiris claris, atque eruditis. Facturumque me puto operae pretium, si sigillatim recenseam praecipuos, & elogia non nulla addam. Principio huc laudandus est Petrus Schottus, quem uiuum adhuc singulari oratione Argentoratensibus, ciuibus eius, eximie commendauit Hassensteinus. Extat oratio illa in Lucubrationibus Oratoriis, inde a pag. XL. Neque post fata aliter in eum affectus fuit. In epistola enim ad Ioannem Schlechtam, quam legas, licet, in App. Epist. Hassensteinii

p. XIII, *Quod, inquit, ad Petrum Schottum attinet, scito, magnum uirum fuisse, peritissimum diuini, humanique iuris, neque a studiis mansuetioribus abhorruisse, fide autem, innocentiaque tanta, ut nequaquam nostro saeculo natum diceres. Is me Bononiae adolescentulum adolescens unice ipse & diligebat, & obseruabat, carminaque saepenumero ad me scribebat, & nostra uicissim accipiebat. deinde cum uterque nostrum ad suos rediisset, frequens inter nos commercium literarum fuit, magis tamen earum, quae nostrum mutuum amorem testarentur, quam quae eloquentiam prae se ferrent &c.* Lepida quoque est in aemulum Petri Schotti elegia, L. I, eleg. p. LI, & alia illa de eodem Romam proficiscente, p. LIII. Postremo in Lucubr. Orat. p. LXVII, *Eiusmodi, ait, amico orbatus sum, qualem neque hactenus habui, neque unquam, ut existimo, habiturus sum.* Dum Schottum, Argentoratensem, commemoro, facere non possum, quin simul mentionem iniiciam Ioannis Keyfersbergii, quem, ueluti patrem suum, ut uocat saepius, magnopere colit, laudatque Hassensteinus, quod uidere est ex literis ad eum datis, quarum non unae extant in Epistolis Hassensteinii, in primis L. I, p. LXVII sequ. Succedat in amicorum Bohuslai numero uir nobilis, ac praestantissimus, Ioannes Schlehta, Regius Secretarius in aula Boemica, quem subinde *amicum unice dilectum* appellat Hassensteinus. Hic ille est, qui dialogum de *Microcosmo* conscripsit, & ad quem plurimae fere Bohuslai extant epistolae, quibus mirifice laudes eius decantantur. Hinc ipse Schlehta in epistola ad Petrum Pisonem, quae legitur in App. Epist. Hassenstein. p. CCCLXXIII, de Hassensteinio ita pronunciat. *Ille me uiuens tanto amore, tanta beneuolentia prosequabatur, quanto maiore nec sanguine coniunctos prosequi potuit: eius amicitiae,*

*iae, & amoris erga me certissimos, ac fide dignos testes habeo, pocula uidelicet, & calices argenteos, inauratos, mirabilique ingenio affabre factos. Habeo & carmina nonnulla nobilissima, quibus mihi, amoris affectu deceptus, longe plura in studiis literarum tribuit, quam ego in me unquam deprebenderim &c.* Non tacendus est inter familiares Bohuslai Hieronymus Balbus, Italus, cuius ille eruditionem magni fecit, postremo autem mores hominis ferre non potuit. Quorsum aliqua, lectoris uenia, afferam ex literis Ioannis Schlechtae ad Sigism. Gelenium, in App. Poem. Hassenst. p. CCCXXCII, seq. ubi, *Euocaueram, ait, ante annos duodecim in patriam nostram ex Austria Hieronymum Balbum, hominem in studiis humanitatis, & utroque iure non mediocriter eruditum, ut apud nos haec eadem studia, quae Parisiis, & Vienna, proficeretur, proposito, & ordinato sibi certo praemio a rege, & principe nostro, apud quem tunc Secretarii munus obibam. Qui in Vniuersitate Pragensi constitutus, nonnullas lectiones partim publice, partim in priuato legebat, magnamque auditorum frequentiam habuit, & in magno honore ab omnibus habitus fuit, nec paruam pecuniarum summam collegit. Postquam autem puerilium amorum sectator, & iuuentutis corruptor deprebensus est, incredibile dictu est, quam breui omnium odia contraxerit, & animos a se alienauerit. - - His cognitis, Magnificus quondam uir Bobuslaus meus ex Hassenstein, quamuis hominem in primis multum dilexerat propter eruditionem, ita in eum cecinit.*

*Attulit is nobis Musas, legesque Lycurgi,*

*Attulit Ausonium, Cecropiumque Sophos.*

*Afferat &, si uis, Pharios, Arabumque magistros,*  
*Tantum ne mores afferat ille suos.*

Barbara



*Barbara gens finus, dum nullum inclinet Amillus  
Hic novus, Idaei discipulusque Iouis.  
Turba rudis finus, geminarumque inscia legum,  
Dum simul & finus nescia turba doli.*

Hic commemorandus quoque est Bernardus Adelmanus de Adelmanfeldia, de cuius cum Hassensteinio amicitia interiore ita ad Bernardum scripsit Sturnus, in Epist. quae extat sub finem Carminum Hassenst. p. CCV. *Quam sincera, quamque vetusta tibi cum Bobuslao nostro est amicitia, & ex mutuis uestris literis, & pretiosis donis, certatim inuicem missis, cognosco. Iucundissimum uisu est, quam concordia, quam beneuolo, & suauiter etiam atque sincero, & denique quam uno sitis animo coniuncti. Praedicent alii Ihesus cum Pirythoo, Orestis cum Pylade, aliorumque id genus amicorum coniunctissimas uoluntates: ego certe si quid dignum doctis me auribus considerem daturum, pro uirili, Adelmani & Bobuslai amicitiam priscorum illorum omnium amore arctissimo ostenderem arctiorem &c.* Sed & idem ille Ioannes Sturnus, cuius modo uerba excitauimus, inter Hassensteinii familiares, haud postremo loco, referendus est. Lufit aliquando in eum Bobuslaus, hoc epigrammate, quod extat Epigramm. L. II, p. CXXXIX

*Nuper in umbrifera Sturnus conualle sedebat,  
Qua rigat Arctos frigidus Ister agros.  
Iupiter hunc uidit mulcentem sidera cantu,  
Aequantemque tuos, Calliopea, modos.  
Continuo nolucris faciem mutauit, & ora,  
Humanaeque manus, brachia, crura, dedit.  
Addidit & pedibus digitos, neruisque uigorem,  
Imposuitque bumeris fortia colla suis.*

Pro

*Pro pennis mentum cumulauit crine, caputque,  
Vestiuitque aliis cetera membra pilis.  
Omnia sunt hominis, sunt costae, suntque lacerti,  
Sunt femora, & tali, pectus, utrumque latus.  
Voce tamen ueterem naturam ostendit, adhucque  
Mellifluum loquitur, mellifluumque canit.*

Ac paullo post.

*Barbara cum placeat Sturno, cum denique barba,  
Nescio, cur solam barbariem caueat.  
Displicet at facies formosis hirta puellis,  
Displiceat facies, cetera dum placeant.*

Variae quoque Bohuslai ad Sturnum hunc, Smalcaldiensem, literae extant, ut plurimum iocosae, in Epist. Hassenst. passim. Ad eundem amicorum Hassensteinii censum, numerumque pertinet Ioannes Pibraeus, siue de Pibra, a tabulis quondam regni Boemici. Hic plures collegit, & asseruauit epistolas Bohuslai, quas Thomae Miti, ad singularem earum codicem conficiendum, tradidit. Taceo Vdalricum, archiepiscopum Tridentinum, de quo supra, Paullum, abbatem Grinhemensem, Ioannem Ridnerum, Christianum Pedick, Venceslaum de Plana, Stephanum Pifonem, Ioannem de Lupis, Augustinum Morauum, Ioannem Domaslauium, Ioannem de Sselenberg, Conradum Celtem, Rodericum Dubrauium, Bartholomaeum Nigrum, Conradum Vimpinam, Martinum Pollichium, Mellerstadium, Ioannem Lochnerum, Christianum Langkhemium, Casparum de Tachouia, Ioannem Passeck, Ioannem de Tyn, aliofque, qui omnes Hassensteinii amici singulares extiterunt, uti ex epistolarum quoque patet inscriptione. In primis in Saxonia, Misniaeque non paucos habuit familiares Bohuslaus, maxime incomparabilem uirum, Georgium Fabricium. Ita enim

F

enim

enim Thomas Mitis, in praef. nouae App. Epist. Hassenst. *Et quia in Saxonia, & Misnia multos familiares noster Hassensteinus habebat, ne pigeat te, quaeso, isthic fragmenta eius inquirere. Ea in re ducem & adiutorem habebis uirum clariss. & opt. Georgium Fabricium, a quo expecto epistolas &c.*

XVIII Non nullos tamen quoque expertus est inimicos Hassensteinus, quibus aliquando iracundius occurrit. Ita ad Sturnum, epigramm. L. II, p. CXXVII

*Quadringenti homines bellum mihi, Sturne, minantur,  
Imprecor bis rotidem, Sturne poeta, cruces.*

Ac fuit eo quidem tempore eruditorum fatum periniquum, ut ab imperitissimis hominibus odio haberentur, conuiciisque exagitarentur. Qua de re ad Bohuslaum nostrum Victorinus de VVfsehrd. *Adde, inquit, quod nostrum omnium, qui literarum studio flagramus, infelix genus est, conuiciisque stupidorum patens, qui, si quid aliquando ex philosophiae praeceptis afferimus, id ipsum totum nobiscum, & cum ipsa philosophia indignabundi contemnunt, proiiciuntque, ex libris nos loqui, (utor enim uerbis eorum) cauillantes. Consueverunt praeterea, quoscumque doctos, eruditosque uiderint, cuiuscunque ordinis illi fuerint, Latine sapientes nominare. Vitio enim datur apud illos, esse doctos, esse eruditos, ita, ut saepenumero, si lucrum temporale attendas, nil didicisse, sit longe fructuosius, & magis gloriosum &c.* Fuit non nemo, qui Hassensteinii de Miseria Humana librum contemneret, de eoque friuole admodum iudicaret. Quo audito, singularem ad Ioannem Pibraeum exarauit epistolam, quae digna lectu est, ut ingenium uiri, & quo modo maleuolorum exceperit iudicia, cognoscamus. Extat autem in noua Append. Epist. Hassenst. p. XLIII

## IOANNI DE PIBRA

S. D.

**L**ibellum nostrum de miseria humana censorem esse nactum, *Lais.* *Is si huiusmodi esset, ut iudicium suum magni faciendum sit, aequo animo ferrem. neque enim tantum mihi arrogo, ut nunquam me lapsum fuisse, existimem, quod etiam doctissimis hominibus non contingere non potuit. Ceterum melius erat, amicum hunc nostrum ea de re ad me scribere, & quid reprehendendum putet, manifeste ostendere. Sic enim errorem meum, si quis esset, agnoscerem, & homini gratias agerem. Nunc uero per angulos obloquitur, neque, quae displicent, in publicum profert, ut mihi facultas mei defendendi omnino praerepta sit. Quam ob rem uelim, ut contineat impetum, neque materiam laudis ex me petat, alioqui sentiet, & nos manum ferulae subduxisse, neque certamen literarium, in quo paene ab infantia uersati sumus, extimescere. Inuitus haec scribo, & bilem erumpere gestientem cohibeo, sed, nisi desiterit, cogar & ipse aliquid ex ueteribus studiis repetere. Docebo Aristarchum hunc nostrae aetatis, qui in aliorum operibus caprearum oculos habet, in suis tappam esse, neque ulla alia re, nisi temeritate, & impudentia, nos ab eo superari.*

Ceterum tantum abest, ut eruditorum inter se concertationibus, litibusque delectatus sit Bohuslaus, ut non solum animum a rixis plane alienum, sed & pacis conciliandae perstudiosum ostenderit. Quam uiro docto conuenientissimam laudem ut luculentius Nostro uindicem, en ipsas eius ad Conradum Vimpinam literas, ex Epist. Hassenst. L. II, p. XCII repetitas.

## CONRADO VIMPINAE

S. P. D.

Quae ad me scripsisti, optime Vimpina, magna cum uoluptate legi, neque solum beneuolentia tua in me, sed etiam literarum tuarum elegantia, atque grauitate maiorem in modum delectatus sum. Illud tamen molestum fuit, quod cum Martino meo Mellerstat parum tibi conuenit, & similitatem hanc inter clarissima Lipsiensis Gymnastii lumina oriri potuisse, & portenti loco iudico, & acerbissime fero. Vellem quidem, utriusque bene esse, prosperisque rebus uestris non secus, quam meis, gauderem, laetarerque. Nempe cum utrumque prius coeperim diligere, quam noscere. Ceterum uereor, ne hoc uestrum minime Christianum certamen plus uobis infamiae, quam laudis asserat. Quem enim arbitramini sermonem uulgi de uobis futurum, si Conradus, Martinusque, qui uirtutis, modestiaeque exemplum fuerunt, nunc affectibus suis frena laxauerint, & more eorum, qui perturbationibus, tanquam uentis, agitantur, inter se digladiati fuerint. Forsitan etiam illi, qui nunc concordia uestra offenduntur, & dissidii huiusmodi fomitem subministrant, nisi desinetis, tanquam uictores exultabunt, & quos antea colebant, uenerabanturque, paullo post non modo leuitatis, inconstantiaeque arguent, sed etiam contemnent, & deridebunt. Itaque si iudicio meo parere nultis, audite me, non ut iudicem decernentem, sed quasi amicum rogantem, obsecrantemque, ut contentionibus his, donec radices agant, abiectis, quamprimum amici sitis. Estis enim eiusdem nationis, in eadem urbe alti, educatique, in eadem praeterea instituti Academia. Multa etiam, ut audio, familiaritas inter uos fuit, multa beneficiorum ultro, citroque collatorum uicissitudo, quae omnia momento temporis extinguere, atque delere, uix prouidorum, atque sapientum est. Dura sunt forsitan haec, sed malo ingenue, aperteque tecum agere, & amici animum mordaci radere uero, quam a tergo ciconiae nostrum, aut aselli auriculas ostentare, precorque, ut, quae scribis, in bonam partem accipias, neque tibi solum, uerum etiam Martino scripta existimes &c.

XVIII Iam de bibliotheca Hassensteinia non nihil dicendum uidetur. In peregrinationibus suis id, praeter alia,

lia, egit magnopere, ut optimos, ac praestantissimos conquiret. Quorsum Georgius Fabricius. In Asiam penetravit, inquit, & Africae quoque litora adiit, suarum fortunarum, uitaeque periculo, - - ut aueret suam Bibliothecam pulcherrimam, & ut importaret in Boemiam patriam antiquae sapientiae magistros, Graecos, & Latinos scriptores, suis hominibus adhuc ignotos. Unde etiam pro uno Platone manuscripto mille ducatos Mediolanenses numerasse dicitur &c. Eandem fere in sententiam Laurentius Span, in literis ad Christophorum de Lobcovitz, quae extant in App. Carm. Hassenst. pag. CCCXCV, Circuit terras, ait, & maria, - - ac ut ab aliis naturaeum singularibus segregauerat dotibus, ita nec affectus cum ipsis congruos habuit. Itaque dum alii, in tali statu, gemmis, & auro suos farciunt thesauros, Bohuslaus noster optimam gazam, Bibliothecam, praestantissimis quibusque autoribus refertam, collegit, non sine magnis impensis, cuius etiamnum testes sunt Domini Fuggeri, quorum opera ad hoc in Graecia usus est. Ex qua tandem Bibliotheca non parua accessio ad studiorum landes Germaniae facta est, quae una nobiscum plurimum se Bohuslao debere, fateri non erubescit &c. Iis, quae de Fuggeris hic commemorantur, addendum est, quod Bernardi quoque Adelmanni, Augustani, opera in primis usus sit in coemendis libris Hassensteinis, uti ipse Bernardus in epistola ad Bohuslaum profitetur, quae Appendici epist. Hass. praemissa est, ubi, In his coemendis, inquit, quid mihi agendum sit, cupio certior fieri. Licet enim omnia meo iudicio commendaueris, sciamque, in qua parte me excedere uelis, tanta tamen copia nouorum autorum, ac eorum, quos tibi per XXXV annos misi, aliquando me dubium, insciumque, quid mihi agendum sit, reddunt. Quare si tibi, ac mihi rem gratam facere uolueris, fac, resciscam, quos libros babeas, quosque habere

habere uelis. Nolle enim, meo ex studio tibi obsequendi aliquod incommodum nasci: utar nihilominus pro mea iure, tuaque uoluntate, facultate mihi in libris emendis abs te tradita, atque, si non inbibueris, etiam abutar, quoniam ita agere me iubes &c. Ac profecto instructissima fuerit, oportet, Bibliotheca Hassensteinii, quae, Georgio Fabricio iudice, eo tempore parem non habuit in Germania. Illud hic minime tacendum est, plurima ex ea uolumina Virembergam aliquando aduecta esse, quibus Philippus Melancthon, & Martinus Lutherus, usi fuerunt. Testem cito Thomam Mitem, qui ad Georgium Fabricium Ann. c1515 LXX Praga scripsit. *Equa* (bibliotheca Hassensteinia) DCC uolumina, per Matthaeum Aurogallum, D. Sigismundo a Lobkowitz, Virembergensis Academiae tum temporis Reçtori, sunt adducta, & postquam satis usi his fuerant M. L. & Phil. Mel. & alii, reportata Chomutouiensis in arcem &c. Extant hae literae sub finem Carm. Hassensteinii. Deplorandum autem fatum est huius instructissimae quondam bibliothecae. Incendio enim, magnam partem, conflagrauit in ea, quam diximus, arce Chomutouienſe, & quod nemo pius sine indignatione legat, complura uolumina in ignem fere iniecta, aut certe ab exitio non liberata sunt, ob, nescio, quam haereseos suspicionem. Ita enim conceptis uerbis Thomas, eo, quem commemorauimus, loco. *Arce deinde Chomutouienſe incendio uastata, perierunt & ipsa* (uolumina), *neglectu Domini arcis, & uelut ad ignem damnata, suspicionem haereseos.* Erepta tamen, & conseruata sunt septem milia uolumina, quorum indicem & catalogum, a Christophoro Carolouicio acceptum, & XIII paginas implentem, euulgauit Thomas Mitis, in Append. Poemat. Hassenst. inde post pag. CCCXCVIII. Ordine autem, si quidem, ordo dicendus

dicendus est, recensentur hic Graeci Autores MSS. nitidissime. Latini. Theologi. Poetae. Astronomi. Medici. Musici. Physici. Historiographi. Philosophi. Iurisconsulti. Varii Autores omnium disciplinarum. Codices Graeci. Vetustissima hic, & rarissima monumenta reperias, sed ita descripta, ut facile imperitam manum diuinare queas. Hinc saepe legas. *aliud opus Graecum. item aliud. Dictionarius Graecus &c.* Ceterum quanti suam ipse fecerit bibliothecam Bohuslaus, Matthaeus Collinus refert in epistola ad Georg. Fabricium, Lucubrationibus Oratoriis praemissa. *Eum thesaurum, ait, contra morem ceterorum magnatum patriae pluris faciebat, quam mille pagos & plurima auri talenta, quo nomine etiam a Centauris irridebatur, & per contemptum appellatus fuit Latine sapiens &c.* Postremo quid de eadem testamento cauerit Hassensteinus, Thomas Mitis docet in praef. nouae App. Epist. Hassenst. ubi, postquam Bohuslaum, Iuniorem, Bohuslai Felicis F. ad instaurandam, & illustrandam Bohuslai nostri bibliothecam adhortatus esset. *De illa, inquit, dicitur cauisse testamento Bohuslaus, quod in tabulis regni extat, ut sit penes doctissimum e suis gentilibus &c.*

XX Enarratis ita potioribus uitae Hassensteinii momenti, reliquum est, ut de morte eius pauca subiiciamus. Nempe fato suo defunctus est in arce, domoque Hassensteinia, Ann. recuperatae salutis c1515 X, die XIII Nouembr. Id liquido constat ex Ioannis Schlechtae ad Ioannem Pibraeum literis, quas legas in Append. Poem. Hassenstein. p. CCCXII, ubi simul epitaphium Bohuslao nostro a Schlechta illo scriptum extat, quod huc repetere, non dubitamus.

*Aspice, quisquis ades, quam paruo clausa sepulchro  
Ossa Bohuslai, lector amice, iacent.*

*Gloria qui fuerat Boemiae maxima gentis,  
 Dum uixit patriae nobilitatis bonos.  
 Nam quicquid Graji docuere, ipsique Latini,  
 Omnia subtili calluit ingenio.  
 Ingenio mores, generi splendorque, decusque  
 Quadrabant numeris conciliata suis.  
 Hic Asiae tractus, porrectos solis ad ortum,  
 Et Lybiae uidit sole perusta loca.  
 Europae pariter lustrauit plurima regna,  
 Multa ferens, terris, multa pericla, mari.  
 Et dum terrenas lustrasset conuena sedes,  
 Inde tuas meruit, Chryste, uidere domos.  
 Has illi pietas, uirtus, pietasque, fidesque  
 Ferre dedit: prauos dira gebenna manet.*

Thomas quoque Mitis haec adiecit.

D. O. M. S.

PIO. AVGVSTO. FELICE. CAESARE

MAXIMILIANO. II

HVNG. BOHEM. ET. CROAT. REGE

ETC

MAGNIFICO. NOBILI. AMPLOQVE

ORDINE. TR. STAT. REGNI

BOHEM. ETC

P. MAIOR. RECORDAT. S. IMITATIONI

AC. DILIG. MONIM. INVESTIG

ETC

THOMAS. MITIS. A. LIMVSA. HOC

SPECIMEN. BOHEM. ILLUSTRANDAE

C.

XXI Sed ecquaenam sunt tandem, inquires, scripta  
 illa, & opuscula Hassensteinii, unde omnis fere haec de-  
 prompta

prompta fuit commentatio. Ea uero paucis adhuc expo-  
 nenda, puto. Principio affero huc Carmina Bohuslai, quo-  
 rum haec facta est inscriptio. *Illustris, ac Generosi D. D.  
 Bobuslai Hassensteinii a Lobkowitz, &c. Baronis Bobemici,  
 Poetae, Oratorisque clarissimi, Farrago Poematum in ordinem  
 digestorum, ac editorum, per Thomam Mitem, Nymburgenum.  
 cum grat. et priuileg. Caesar. Pragae, excudebat Georgius Me-  
 lantrychus ab Auentino, Anno 1570, 8.* Primum hoc carmi-  
 num Hassensteinii uolumen a M. Briccio a Liczsko acceperat  
 Matthaeus Collinus, ab hoc uero Ioanni Hoddieiuino  
 relictum, & denique Thomae Miti, editori, traditum fuit.  
 Continentur hic *Carmen heroicum ad Imperatorem, & Chri-  
 stianos reges, de bello Turcis inferendo. Satyra in mores pro-  
 cerum, nobilium, & popularium patriae. Ecloga, siue Idyllion  
 Budae. In tempus brumale. De equo, Glonka dicto. De Sta-  
 nislao Polono. Praeconium diuae Virginis. Elegiarum uarii ar-  
 gumenti libri II. Epicediorum, epitaphiorumque Liber Epi-  
 grammatum Libri III.* Thomas Mitis Maximiliano II, Cae-  
 sari, dedicauit carmina haec, ipsaque dedicatio carmine  
 reddita est, cuius hic fere finis.

*Patria cui nondum similem dedit, atque secundum,  
 Vates patrono Caesare dignus erat.*

Quid praemii reportarit Thomas, non constat. Certe Io-  
 annes Schlechta de Imperatore illo. *Eget, inquit, princeps  
 noster stimulo, si quid donare debet. Raro aliquid cuiquam  
 proprio ductu largitur.* Ceterum Carmina Hassensteinii di-  
 gna aliquando uisa sunt Ioanni Plick, artis poeticae in A-  
 cademia Lipsiensi doctori, quae publicis recitationibus il-  
 lustraret. En tibi prolusionem, qua institutum signifi-  
 cavit.

M. WOLFGANGVS PLICK

Professor in Acad. Lipsiensi

Omnibus gratis in Lectorio Collegii maioris maximo

S. P. D.

**D**ies ne sine linea transeant, tempusque aureum squalido teratur otio: traductis in calcem Vergilii libris praeclarissimis, recto tramite mox eadem hora libellos quatuor Genarost, Magnificique uiri D. D. Bobuslai de Hassenstein, Baronis Bohemi, nostro iam aeuo, & in Latinis, & in Graecis peritissimi, publice, Deo annuente, interpretari auspicabimur, quos, candidi iuuenes, emite, audite, lectitate, & uos, uenerandi senes, colite, animum in eis pascite benigne, exhortor. Aeris exigui nullum poenitebit. Si quem uero poenituerit, hic se bonas odisse, & penitus ignorare literas, fatebitur. Censores non ante iudicent, aut potius blaterent, quam perlectauerint, pie moneo.

Illud non praetereundum uidetur, Carmina Bohuslai a non nemine in linguam Boemicam uersa esse, sed inscite admodum, uti patet ex Eleg. L. I, p. XLII. Koenigius, in Bibliotheca, cum satis prodar, se nihil legisse, aut uidisse operum Hassensteinii, nescio, qua accepta fama, uel rumore, illi hoc carmen, tanquam auctori, tribuit.

Conturbabantur Constantinopolitani

Innumerabilibus sollicitudinibus.

Neque errauit Koenigius. Extat enim omnino Epigramm. L. II, p. CXXVII. Denique, ut & hoc moneamus, sub finem Carminum haec, inter alia, subiiciuntur. Duo epigrammata Graeca omissa sunt propter defectum typorum. Sed non omissa sunt. Leguntur enim profecto Epigramm. L. III, p. CXCIII, ubi simul mixtum quoddam, & ex Graeco, Latinoque idiomate conflatum carminis genus inuenias, ad eum

eum fere modum, quo superioribus saeculis cantiones quaedam sacrae, nescio, an laudabili instituto, partim Latinis, partim Germanicis conceptae uerbis sunt. Sed afferam ipsum carmen Hassensteinii.

Ad Psarum.

Barbara, Psare, tibi do carmina. barbara nempe

Musa, nec Ἑλλήνων de regione mea est.

Nec mihi sunt uisae ἠέσσοι Διὸς ἀγχιόχοιο

Aseracis pecudum ποιμενι, Psare, iugis.

Mantua non nobis, Danaum non κῶδος αἰΐθήμου,

Denique non Sparte κωδιάνειροι πατρις.

Laudor at a Psaro, siquidem ψευδῶματα διοίδος

Ἄλλήλων praebent μεστῶριόν τε φίλοις.

Sequuntur iam ordine Miscellanea carmina, quae hanc prae se ferunt inscriptionem. D. Bobuslai Hassensteinii a Lobkowitz Liber Miscellaneorum, siue eorum carminum, de quibus non satis constat, sinne ipsius, an uero familiarium Bobuslai, quae, quia in uetusto libello immixta erant, libuit hic subnectere. Non sine iucunditate legas hic carmen ad quatuordecim auxiliares, p. CCXII. Aliud de laude pecuniae, secundum opinionem uulgi, p. CCXV. Ad Mercurium, pro saluo conductu Ioannis ad Elysijs Campos, p. CCXX. aliaque. Succedat nouum ingenii Hassensteinii monumentum, Generosi Baronis, poetae, oratorisque excellentis D. Bobuslai Hassensteinii a Lobkowitz, I. V. D. Appendix poematum, editorum a Thoma Mite, Nymburgeno. Addita sunt elogia plurimorum in D. Bobuslaum, una cum Indice Bibliothecae Hassensteiniae. Pragae, excudebat Ioannes Gitczinus. 1570, 8. Inscriptus est hic liber Ferdinando, tunc archiduci Austriae. Extat autem primo loco in opusculo Hassensteinii de Proprijs Germanorum Inuentis Carmen Heroicum, & Adbortatio

tio ad praestandam gratitudinem inuentoribus Bombardarum, & Chalcographiae. Varia hic carminum genera deprehendas, quibus interdum mirifice lusit Bohuslaus. Artis, ingenique pleni sunt uersus p. CCCV.

Mars, Pan, Pluto, Ceres, Liber, Neptunus, Apollo,  
Arma, Nemus, Baratrum, Segetes, Mera, Flumina, Chordas,

Captat, Amat, Dat, Multiplicat, Fundit, Regit, Aptat.

Sed & uariae aliorum insertae sunt literae, nullo plane seruato ordine. De indice autem bibliothecae, qui sub finem legitur, iam supra dixi. Iam alius enarrandus liber est, cui haec data inscriptio. *Viri Illustris, & Magnifici, D. D. Bohuslai Hassensteinii a Lobkowitz &c. Noua Epistolarum Appendix, conquisita, & edita per Thomam Mittem, Nymburgenum. Pragae, excudebant heredes Ioannis Gutzini M. D. LXX.* De hac collectione ita Thomas Mitis ad Bohuslaum, Iuniorum. *Nuper Pragae fuisti, - - bibliotecam, salutaturus me, si praesto adfuisset, praeteristi. Id sane mihi permoleste accidit. - - Potuisses enim, inter cetera uestri gentilis monumenta, conspiciere manuscriptum codicem perantiquum, cuius satis longo tempore usufructum mihi concessit nobilis & industrius iuuenis, Fridericus a Wildenstein. Codicem illum, e quo nouam hanc conlaui appendicem, cum aliis quibusdam studiose concinnaui, & collegit Ioannes Pibraeus, nostri D. Bohuslai Hassensteinii quondam familiaris, sed nescio, cui reliquit demortuus. Hoc unum scio, in pessimo apud Corydones loco, & pessime habitum, & acceptum. Nam paginae, quod citra dolorem proferre uix possum, plurimae ab illis excisae, ad uitreas fenestras obliniendas mancipatae fuerant, & ad extremum fuissent, ni Wildensteinii memorati una coro siliginis redemissent, atque ab interitu uindicassent &c.*

sent &c. En tibi singulare libri fatum. Argumenta autem eius, siue singulas enarrare epistolas, nihil attinet, maxime, cum supra iam uaria inde specimina attulerim. Denique, quas primo loco laudare debebam, paucis commemorandae *Lucubrationes Hassensteinii Oratoriae. Pragae, excudebant Thomas Mitis, & Io. Caper 1563.* Continentur hic *Opusculum de miseria humana. Libellus de Auaritia. Oratio pro Petro Schotto, Argentiniensi. Fragmentum de Felicitate. Epistolarum, Libri V. Vita auctoris per Thomam Mittem, tumultuarie collecta e diuersorum elogiis, & Domini Bohuslai ad diuersos scriptis, una cum insignioribus eiusdem sententiis, ac locis memorabilibus.* Sed mitto copiosiore harum Lucubrationum enarrationem, utpote quam diligenter praestitit Heumannus, V. C. in ea prolusione, quam supra dixi. Idem, noua quadam in accessione, p. LV, indicat, M. Christoph. Graesium h) Hassensteinii opusculum de Miseria Humana sigillatim quoque cum notis historico-philologicis edidisse, Altenburgi 1667, ac Opera omnia Hassensteinii Halberstadii 1623. per Henningium Succouium exiisse. Sed hoc posterius quidem aut aperte falsum, aut admodum dubium, incertumque est. i) Alia quoque scripsit Bohuslaus, sed edita non sunt. De quibus Thomas Mitis ad Georgium Fabricium. *Bohuslai Hassensteinii Annales, una cum Hodoeporico suae peregrinationis, Cadana expecto. Eos ubi affecutus fuero, tecum communicabo &c.*

G 3

Prius

h) Graesius hic Conrektor fuit Altenburgensis Gymnasii, Vid. Miscellanea Lipsiensis, T. VII, p. 375. & Struuii Biblioth. librorum rariorum, Theca I, p. 15.

i) Compertum mihi est postea, Succouium illum non, nisi unicum illud Hassensteinii de Miseria uitae humanae opusculum edidisse, cum notis admodum uulgaribus, Halberstadii, clo IoC XXIII, 12.

Prius autem, quam hinc discedam, illud commonendum uideretur, incredibilem in colligendis opusculis Hassensteinii posuisse laborem Georgium Fabricium, Thomam Mitem, aliosque, inprimisque Ioannem Sturnum, de quo Ioannes Schlehta. *Tibi, mi Sturne, magnas habeo, agoque gratias, quod tantum curae, & diligentiae impenderis, ut quos libros eius, siue carmine, siue soluta oratione scriptos, necdum tamen in lucem emissos, inuenire potuisti, omnes collegeris. Nisi enim diligentia, & cura tua id pronisum, & effectum fuisset, uereor, ne penitus aut neglecti perirent, aut ab aliis surrepti titulos falsorum autorum induerent, laboremque & famam ueri autoris amitterent. Fuisi tu profecto Bobuslao nostro idem, quod aliquando Tyro M. T. Ciceroni, quem nisi ille Libertum habuisset, multos nunc libros eius desideraremus. Ita nisi tu in amici nostri contubernio, & familiaritate mansisses, actum fuisset de nonnullis eius editis libellis. Quare tibi multa pro tanto beneficio debent omnes studiosi, & bonarum artium amatores &c.* Ipse autem Bohuslaus in continendis lucubrationibus suis, singulari modestiae exemplo, nimiam fere operam dedit. Hinc Sturnus ille aliquando ad Augustinum, Olomuccensem. *Deus bone, quis homini in edendis libellis nimis, quod pace sua dicam, modesto persuadeat, ut minora haec, & exigua edat, qui maxima ita negligit, ut non pauca pridem a blattis, atque muribus corrosa uideres, & absunta. Quod ne huic quoque accideret libello, eripui, inuito, nescioque autore, & exscripsi, &c.*

XXII Atque haec iam illa est Bohuslai Hassensteinii uita, ex ipsius opusculis utcumque exposita. Plurima autem, & infinita fere perhonorifici de Hassensteinio iudicii testimonia maximorum, doctissimorumque uirorum, literis consignata, extant. Referam potiora, sub finem huius commentationis in Epistolis Georgii Fabricii, & reliquorum. Faceo quoque illa elogia, quae attulit iam Cl. Heumannus. Vnum, itemque alterum ex iis, quibus supra

supra usus sum, subsidiis, depromam. Sigismundus Gelenius k) inter eos uiros annumerat Bohuslaum, qui & *saeculum suum, & patriam excellenti eruditione ornarunt.* Thomas Mitis uero. *Sicut meritis erat, inquit, noster Hassensteinus, cur ab exterorum etiam hominum tot elogiis, editionibusque suarum lucubrationum cobonestaretur: ita meretur etiam nunc, merebiturque in perpetuum, ut ab uniuersis, & potissimum a Sympatriotis, ueluti aliorum Camillus, redux ad Bohemiam e barbarie uindictandam, faustis ominibus, & exclamationibus excipiat, & applausu, fremituque secundo eruditorum, auitaeque laudis amatorum complectatur.* De eodem Hieronymus Balbus. *Bobuslaus, ait, de Hassenstein, unus omnium, quos uiderim, quosque audierim, longe eruditissimus. - - cuius quoque profundissimam in omni disciplinarum genere doctrinam, ingenique dotes eminentissimas hoc eodem sum libello, utinam tam eleganter, quam uere, prosecutus. Is procul dubio mihi uidetur esse, cui ex Italis (faceat aduulatio) unus, aut alter, ne dicam nemo, conferri possit. Ita enim uelim, mi patrone, tibi persuadeas, Bobuslaum, hac praesertim tempestate, facundia, eruditione, ingenuitate, candore, nulli ex primo loco cessurum. Hic, inquam, hic est, (quod qui negat, meridiem lucere negat,) totius sapientiae fons uberrimus, quo superstite summum esse uideo, & rarum, quod possint sibi literae polliceri, cuius ego sortem cum optimam, tum uero beatissimam duco. Cuius ego moribus delector, doctrina erudior, consilio ducor &c.* Vlricus quoque Huttenus permagni fecit Hassensteinii doctrinam. *Qua de re Simon Villaticus ad Ioannem Hoddeiouinum. Dum Bononiae studiorum causa agerem, illic Vlricus Huttenus, Franco, multum mecum instituit sermonem, eius, D. Bobuslai scilicet, ratione, retulitque, patrum suum, uirum quendam magnum, de eo multa sibi retulisse, consensuque multorum eruditorum quorundam palmam in uersu heroico scribendo in Germania*

k) Sigismundo huic Gelenio, praeter nonnulla alia, debetur uersio Latina librorum Origenis contra Celsum, quae extat in edit. Spenceriana, Cantabrig. cl. loc LXXVII



nia sibi fuisse delatam. Ioannes Schlehta, quem toties supra commemorauimus, cum alibi, tum in literis ad Petrum Pisonem. *Scripti, inquit, in tumultum Bobuslai, Baronis de Lobcouitz &c. hominis sicut nobilitatis stemmate, ita omnium bonarum disciplinarum peculiari eruditione egregie ornati, cuius multiplici doctrina patria nostra, dum uixit, iuste, & merito apud exteros gloriari potuit, dum acumine, & splendore ingenii cum ipsis Italis, nedum cum Germanis, certare uidebatur.* Ac iterum in literis ad Stanislaum Turzonem, episcopum Olomuccensem. *Bobuslaus uir fuit profecto acris ingenii, emunctaeque naris, memoria insuper admirabili, facundia ubere, siue quid carmine, siue soluta oratione dicendum, scribendumue fuisset: cuius rei si quis a me testimonium exigat, libri id eius plurimi, tam soluta oratione, quam etiam carmine scripti demonstrabunt, ex quibus facile quis uiri illius eruditionem, sicut leonem ex unguibus, aestimare poterit &c.* Denique, ut innumeris alios praeteream, Matthaeus Collinus ad Georgium Fabricium. *Mibi in mentem, inquit, uenit, duo potissimum in hoc heroe admirari: alterum est elegantia, & suauitas orationis tam in pedestri, quam in equestri sermone, unde, & quomodo ea in ipsum potuerit cadere in summa barbarie, quae istis temporibus longe, lateque, praesertim in hoc nostro regno, suum exerceret imperium? tamen est non dubitem, ipsum tantam dicendi, & scribendi facultatem, imo & facilitatem comparasse, & confirmasse ex mutorum magistrorum, praecipueque Ciceronis, & Ouidii diligenti lectione, & ex crebro styli usu, quem, naturae bonitate adiutus, ad imitationem eorum auctorum conformare studebat, quod studium illis temporibus adeo hic erat sopitum, ut paucissimi reperi fuerint, qui trium quoque, uel quatuor linearum epistolam exarare sciuissent, post infelicem illam nostrae Academiae dissipationem.* Alterum est, tanta auuiditas coaceruandorum librorum, & studium bibliothecae instruendae, ut non dubitauerit etiam annuum pendere salarium Fuggeris, mercatoribus Augustanis, hac sola de causa, ut in exercendis suis negotiationibus apud peregrinas gentes interim quoque indagarent libros Graecos, & Latinos pro augenda & locupletanda ipsius bibliotheca.

EXPLICIT. VITA HÄSSENSTEINI

ACCESSIO

## ACCESSIO SINGVLARIS

MATTHAEO COLLINO

S. P. D

GEORGIUS FABRICIUS

Viri Generosi, & poetae illustris D. Bohuslai Hassensteinii celebre nomen est. Is quia bibliothecam in arce patria insignem instruxerat, qua in Germania illius temporibus melior, & copiosior non fuit, etiam si antistites, & episcopi plurimi sunt, ad quos ea cura praecipue pertinet, & qui sumas tolerare possunt, ideo eius in multorum eruditorum libris mentio admodum honorifica erat, qui ipsum ex Africa, ex Asia, & Graecia ipsa scriptores antiquos deportasse, testabantur. Haec cum legerem, & audirem, ualde ipsum admirari coepi. Nam eius familiares Ioannem Sturnum, & Matthaeum Aurigallum etiam uidi Annaebergi, cum puer literas discerem a Riuiio. Venit autem primum in manus meas carmen ad Imperatores, & reges Christianos scriptum, quod ita mihi placuit, ut, post Ianum Pannonium, e patrum memoria nullius magis probarem, quamuis iudicare non poteram. Illud tamen cum mecum in Italiam ferrem, Bononiae ostendi claro equiti, Achilli Bochio, & ipsi nostrorum studiorum admodum studioso, quamuis tum Historiam scriberet, qui dicebat, uerbo ipsius uitor, *provincialibus hominibus se fauere, & nunquam illos iudicasse barbaros, & lecto Bohuslai carmine, statim aliud describendum dedit, quod ad Thomam Nadaesdinum, Pannonium, scripserat, in quo exterorum industriam, & uirtutem meritis laudibus extollit.* Postea cum post annos fere quinque Argentoratum uenissem, ad optimum illum senem, Sigismundum Gelenium, Boemiae uestrae singulare ornamentum, scripsi, ut D. Bohuslai opera uel ipse ederet, uel mihi edenda committeret. Spe autem mea diu frustratus, & post id tempus implicitus occupationibus, car-

H

men

men illud, quod solum habui, typographo Argentoratensi, fratri meo, excudendum dedi, & reliqua non inquisivi, quod id frustra facere me, intelligerem. Anno superiore autem e tuis animadverti literis, nobilem uirum D. Ioannem Hoddeiouinum mandasse, ut suis sumtibus inquirantur, atque edantur, qui Maecenas uester, quod & uiri summi memoriam conseruare uult, & patriae suae ueris laudibus fauet, profecto a te, & ab aliis ornandus est, & in hoc instituto praeclarissimo adiuuandus. Ego quoque ut meo amori in D. Bohuslaum a pueritia concepto indulgerem, Mense Martio ad Episcopium scripti, ut quicquid esset apud ipsum, id impetrarem, sed nondum responsum accepi, & nunc quicquid consequi potui, ad te, Colline, mitto. Epistolas, quas Thomas Mitis edidit, nondum perlegi. Vale feliciter, & me, ut facis, ama. Misena, e ludo illustri, IIII Idus Nouembr. quo die ante annos CXXIII Rostochiana coepit Academia.

THOMAE MITI

S. P. D

DAVID CHYTRAEVS

Clare uir, amice colende. Meministi dulciss. de officio referendae gratiae Sophoclis uersiculos: *Ἀνδρὶ τοῖς χρεῶν μνήμην παρῆναι, τερπνὸν εἰ τι πρὸ πάθος. χάρις χάριν γὰρ ἐστὶν ἡ τίμησ' αἰ.* Cum igitur omnia summae humanitatis, & beneuolentiae fraternae officia mihi, & comitibus meis nuper isthic a uobis exhibita sint, fateor, me ad sempiternam gratitudinem obligatum. In primis uero grata nobis, & iucunda fuit lectio eruditiss. & dulciss. poematum tuorum, & scriptorum Bohuslai Hassensteinii, cuius ingenio tota Germania nullum eo tempore habuit praestantius, & politius. Vt autem pro ampliss. & doctiss. muneribus tuis literariis exiguam grati animi significationem ostendam, reuerenter peto, ut hunc ducatum mnemosynon mei apud te esse patiaris, & reuerenter, ac officiose uerbis meis salutem dicas Clarissimo D. Simoni Proxeno, M. M. Iacobo, & Petro Codicillo, fratribus, M. Procopio Lupacio, & M. Adamo Hubenio, & reliquis communibus amicis. Bene uale. Oremes Austriae, 20 Ianuarii 1569.

FLO-

FLORIANO KRISPEGKIO

S. P. D

GEORGIVS FABRICIVS

Audito, sub prelo esse Opera poetica Generosi uiri D. Bohuslai Hassensteinii, cuius eruditionem in tali uiro, & tam amplo, semper sum admiratus, & in eius scriptis asserendis etiam diligens fui. Tua autem amplitudo, uir excellentissime, si stimulos Thomae Miti, qui eorum editionem procurat, auctoritate sua addiderit, & eius gentiles ad gratitudinem fuerit adhortata, non dubituro, quin iam confectum sit negotium, & uir immortalitate dignissimus sit habiturus laborum suorum, & ingenii praestantis praemia apud omnem posteritatem. Misena, e ludo illustri, XV Cal. Martias. Anno Christi 1570.

IOANNI BANNONI, I. V. D

S. P. D

GEORG. FABRICIVS

Ab eo tempore, quo amare te coepi, Banno ornatissime, semper amari constantissime. Soleo enim non *ἐρωτικῶς*, sed *Φιλῶς* amare, si cuius mihi uirtus, & eruditio est perspecta. Ea etiam de causa patriam tuam Regiam libentius accessissem, cum ut tecum loquerer familiariter, tum ut eos amicos salutarem, qui ad me saepius scripserunt humanissime, praesertim ut Thomae Miti instarem ad absoluenda opera e nobilitate praestantissimi D. Bohuslai Hassensteinii, quo doctior ante ipsius tempora in regno Bohemico non fuit, & mentionem Bohemiae faciens Conradus Celtes, princeps Laureatorum, sic canit.

*Hic Bubslaus habet sua candida testā Bobemus,  
Musarum, & patriae fulgida stella suae.*

Impedit autem hoc tempore coeli iniquitas, & ualetudo, quae solet esse imbecillior, & quae leui momento irritata, etiam saeuire in me solet. In primis autem mihi molesti sunt capitis dolores.

H 2

causam

Causam ipse potes cognoscere, & ego eam non possum mutare.  
Misena, XI Cal. Feb. Anno Domini 1570.

GEORGIUS FABRICIUS  
THOMAE MITI, S. D.

**L**iterae tuae magno me affecerunt gaudio, quibus significas, breui absolutum iri opus carminum Generosi uiri, Bohuslai Hassensteinii, quod annos iam aliquot sub manibus habuisti. Omnino dignissimus ille heros est, qui uirtutis, eruditionis, sapientiae quoddam singulare exemplum, in ore posteritatis perpetuo uersetur. Quod autem antea tentarunt uiri illi optimi, & doctrina praestantes, Sigismundus Gelenius, Pragensis, Ioannes Sturnus, Smalcaldiensis, Matthaëus Aurigallus, Chomutouiensis, id tua industria, & meis precibus, atque etiam importunitate effectum esse, gratulor, & gaudeo. Quem autem praesentes amarunt, & celebrarunt, nos quoque obseruare, par est, & memoriam defuncti colere. In ea enim sententia fuit Conradus Celtes, poeta, qui sic de eo canit in Danubio.

*Qualiter in Graiis memorantur Thessala regnis,*

*Aemasibiis Tempe septa fuisse iugis,*

*Taliter Almanis se laeta Boemia terris*

*Erigit, & largis flumina fundit aquis.*

*Hic Bohslauus habet sua candida teila Boemus,*

*Musarum, & patriae fulgida pella suae.*

De patruo ipsius, Sigismundo, nihil mihi notum est. De Philippo, ex eadem gente nato, audiui, qui linguam Latinam non literis didicerat, sed usu. Itaque cum & carmen scriberet, & orationem solutam, nec numeros satis obseruabat, nec structuram orationis, ingenii tamen facultas maxima apparebat, & Musica, hoc est, diuina quaedam uis naturae. Vnde cognoscimus, familiae Hassensteinianae gentilem, & proprium quendam imperum esse ad eruditionem, & excellentiam. Perge igitur, ut coepisti, urgere propositum, nec tibi ullius sermones aut iniquitatem patere obstare. Nam si quid inuidiae est, aut lioris, id iam post fata quiescit.

quiescit. Vale, & breui totum opus ad me mitte. Misena, Id. Febr. Anno a nato Seruatore Christo 1570.

E I D E M

**Q**uanto diutius desideratae, tanto gratiores tuae mihi fuerunt literae, optime Mitis. D. Bohuslai Opera edita si sunt, mecum ea communica, qui illum uirum, meorum praeceptorum laudibus, a pueritia semper amaui, ac eius omnia inuestigauit. Cura eadem Lipsiam uehenda, ut & nostris & aliis fiant notiora. Ioannem Strialium saluta meo nomine reuerenter. Vale felicissime. E ludo illustri Kl. Sept.

E I D E M

**N**on arbitror, optime Mitis, Fabricium tibi ex memoria excidisse. Cur autem tanto tempore, ac post Collini discessum nihil scribis? D. Bohuslai Opera si sunt excusa, fac mihi eorum copiam, ut eius scriptis doctissimis, quae non sine labore collegi, fruar, & aliis ea studiosis commendem. Excusa est apud nos Graeca Epistola, de causa Hussitica. Eam ualde cupio legere. Habui exemplar, sed amisi. Quis successerit Collino, quid agat Strialius, scribe. Virum Ampliff. Vrbanum Pfefferconum saluta, qui non procul a Praga uestra habitare dicitur. Saluta etiam cum omni reuerentia D. Matthiolum, Archiatrum. Misi ad eum piscem, quem natura lapidi impressit, non procul a Danubio, & e lapidina Cherlamense effossum, quem scire uellem, num acceperit. Nunc nuncii crebri eunt Dresdam e regia uestra, eis tuas da, & D. Ioanni Naeuio reddendas cura. Repete etiam scribendi officium, & uale feliciter. E ludo illustri, Misena, a nato Christo Redemptore, Anno 1567, Mensis Aprilis die tertia.

STEPHANO PISONI

BOHVSL. HASENSTEINIUS

S. P.

**P**ostremas ad te literas ex Alexandria Aegypti dedi, inde, Genuensium nauigio, Chium profectus sum. In hoc itinere, dum Carpathos insula iam in conspectu esset, ui tempestatis ad Cyprum

usque, millia passuum paene quadraginta, reiecti sumus. Cepi tamen non parum huius aduersitatis fructum, quod Ciliciae, Pamphiliae, Lyciaeque oram legi, & pleraque didici, quae ignorabam. Nam & Pathmon praeteruectus sum, Diui Ioannis reuelatione insignem, & Coum, Samumque, alteram Pythagora, alteram Hippocrate claras. Chios ipsa, ultra id, quod sibi Homeri & ortum, & sepulcrum uindicat, masticem quoque laudatissimam gignit. Hinc continentem Asiae minoris, quam hoc tempore Turciam uocant, traieci, & Smyrnam ipsam, & Thyatiram, & Ephesum, & Erythras, Sibylla ciue nobiles, peruagatus sum. E regione Smyrnaei sinus Lesbos est, Theophrasti, Sapphusque patria. Vectus demum per Cycladas, Sporadasque, hoc est, Delon, Paron, Icarum, Andrum, Tenedum, Gyaram, Seriphonque, & innumera id genus, quae commemorare non tam mihi graue, quam tibi fastidiosum esset, Methonem, oppidum Peloponnesi delatus sum, Lybion, Domino propositio, quam primum fieri poterit, traiecturus. Ferunt, esse illic Tunata, paruum olim oppidum, & a Liuio, Polybioque uix nominatum, nunc autem omnium Africae urbium, quae in nostrum mare uergunt, clarissimum, neque procul inde ruinas Carthaginenses extare, quarum uisendarum studio eo proficiscor. Redire dehinc Methonem, animus est, & Peloponnesum Atticam, Boeotiamque peragrarare, & eloquentiam, quam studio, ingenioque consequi non potui, apud Parnasum, Heliconaque petere, inde adire Constantinopolin, & Bithyniam, Hellesponto, Troadeque lustrata, Venetias reuerti. &c.

GEORGIUS FABRICIUS  
MATTHAEO COLLINO

*Amico suo colendo*

s. D

**N**arravit mihi uir eruditus M. Ioannes Strialius, nunc isthic sub prelo esse uiri ornatissimi D. Bohuslai Opera. Quamuis autem antea ad te, & ad Mitem nostrum, qui ea excudenda colligebatis,

tis, partem eorum miserim, tamen nunc multo ampliozem & Carminum, & Epistolarum partem addo, quam Mense Septembri praeterito praeclarus adolescens Nicolaus, Nic. F. Episcopus ad me patris liberaliss. mandato misit. Fuit certe Bohuslaus suis temporibus nullo homine docto inferior, nobilitate plurimis antefendus, usq; & experientia omnibus, quorum nunc mihi in mentem uenit. Multi regum, aut principum nomine missi Legati unam partem orbis terrarum peragrarunt, adiuti autoritate, & opibus eorum, quibus nauarunt studium, aut locarunt operam suam. Sed uester ille non contentus, perlustrare Europam, in Asiam penetrauit, & Africae quoque litora adiit, suarum fortunarum, suaeque uitae periculo. Neque id fecit inani quodam spectandi studio, ut solent *Φιλοθεσάμονες*, neque ostentationis leuis cupiditate, ut *Φιλόκενοι*, sed ut augetet suam bibliothecam pulcherrimam, & ut importaret in Boemiam, patriam, antiquae sapientiae magistros, Graecos, & Latinos scriptores, suis hominibus adhuc ignotos. Vnde etiam pro uno Platone manuscripto mille ducatos Mediolanenses numerasse dicitur. In illa quasi ambitione inuestigandi necesse illi fuit, cum doctis colloqui, & si quid impetrare ab illis uellet, doctrinae quoque specimen exhibere, & de iis, quae expeteret, & acquireret, pudenter iudicare. Etenim ipse, qui rerum multarum usum non habeo, expertus sum Italorum facilitatem erga eos, quos animaduertunt non temere, aut imprudenter, sed studio, & iudicio quodam ad se accedere. In tot autem populorum, & tam uariorum moribus, quibuscum peregrinando uersatus est, quantum illi accessisse humanitatis, doctrinae, dexteritatis, suauitatis credendum est? Vt meae iam irasciar pueritiae, qui non omnia cognouerim ex eius amico Sturno, ex quo, dum ludum priuatum Annaebergi haberet, facile cognoscere potuissem intimos hominis sensus, & affectus. Sed haec tu fortassis, aut Mitis noster in uita eius describenda prolixius exequemini, qui magnificorum uirorum, gentilium eius, habetis notitiam. Adhortor autem uos, ut nihil relinquatis intentatum, aut inexpertum ad illum heroem nostrum ornandum, & quasi suscitandum

tandum a mortuis. De eodem adieci Vimphelingii, & Sturni iudicia. Ille etiam eiusdem meminit in suo libello, quem inscripsit de Integritate. Haecenus, admiratione prouectus summi illius uiri, fui uerbosior, &c. Vale feliciter. E ludo illustri, Misena, XIII Cal. Febr. Anno nati Christi M. D. LXIII

GENEROSO BOHVSLAO A LOBKOVVIZ

ET IN HASSENSTEIN

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

MARTINVS MELLERSTAT, MEDICVS

S. P. D.

**L**ibellum de miseria humana proximis his diebus a te editum, mihi que dictum, uir omnium doctissime, nostrique seculi uirtutum singulare exemplar, tanta admiratione, animique laetitia accepi, quantam uel scribere, uel dicere homini est impossibile. Cum primum enim illum legerem, elegantia styli, materiae fecunditate, locorumque auctoritate refertum, uehementer miratus sum diuinum, stupendumque tuum ingenium, quod, me iudice, humanitas missum, par non habet, sed fere omnia excedit, superatque, quod aperte, & multis iudiciis iam dudum noui. Vellem, Generose uir, mihi esse, quo tibi gratias condignas agerem pro tam singulari munere, sed cum in eo me deficere, certo sciam, malo ab inceptis desistere, quam coepta turpiter relinquere. Satis sit, mi Here, me in tuorum numero & esse, & computari, qualis hic libellus tuus inter reliquos libros meos extat. Primum enim omnium iure optimo locum sibi uendicat, cuius etiam cotidianus intuitus me in tui amorem, admirationemque trahit, & allicit. Vellem praeterea, aliquid rari, & tibi ignoti, penes me esse, quod tibi dono darem, prouocaremque te hoc pestifero tempore, quo irati Apollinis inclementia Musis placanda est, ut literis, prout semper facis, incumberes, ederesque nouum aliquid, quo uel aeternum nomen posteris relinqueres, uel Martinum, quem tuum esse scis, saltem tua opera clariorem redderes. Vale feliciter, mihi que, ut deditissimo tibi, in omnibus, & per omnia impera.

Iterum uale. Datum Choburg. penultima Octobris,

Anno 1704